

Princeton University Library
32101 055636631

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA GRAECA

VIRORUM DOCTORUM OPERA RECOGNITA ET COMMENTARIIS INSTRUCTA

CURANTIBUS

FRIDERICO IACOBS

ET

VAL. CHR. FR. ROST.

A.

POETARUM

VOL. VII.

CONTINENS

AESCHYLI TRAGOEDIARUM Vol. I.

ED.

DR. RUDOLFUS HENRICUS KLAUSEN.

GOTHAE ET ERFORDIAE

SUMPTIBUS GUIL. HENNINGS.

MDCCCXXXIII.

Digitized by Google

AESCHYLI

QUAE SUPERSUNT

EDIDIT

Dr. RUDOLFUS HENRICUS KLAUSEN.

VOLUMEN I.

ORESTEA.

SECTIO I.

AGAMEMNO.

GOTHAE ET ERFORDIAE
SUMPTIBUS GUIL. HENNINGS.
MDCCCXXXIII.

Digitized by Google

ERFORDIAE
TYPIS HENNINGS & HOPF.
1883.

Digitized by Google

FRIDER. THEOPH. WELCKERO

AUGUSTO FERDIN. NAEKIO

D.

(RECAP).

2559
.1833

48699. c

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Novam Agamemnonis editionem paraturus bene noveram, quid in hoc opere inesset difficultatis: neque tamen a consilio destiti, quia non deficiebant ea, quae ad solvendas has difficultates afferrem, nova saltem, ut spero bona. Etenim quum in academia Fridericia Wilhelmia Rhenana bis de hac tragoedia scholas haberem, mirum esse animadverti, quantopere interior sententiarum nexus a prioribus interpretibus esset neglectus, tum earum quae in singulis locis fusius explicantur, tum earum quae per totam fabulam saepius repetita sese invicem respiciunt. Hunc ut restituerem, ex hoc ut singula interpretarer et demonstrarem, maximam equidem, dedi operam, nec sane irritam. Ut vero tum ea ratio, qua singuli sermones cohaerent, tum ea, qua scenam, partem, orationem alteram altera respicit, omnibus pateat, neve novi ex ea male intellecta oriantur nunc improvisi errores, summam eorum, quae continentur tum in carminibus, carminum partibus et strophis, tum in scenis, orationibus et periodis singulis, breviter descriptam singulis quibusvis praemisi, ut ex-

Digitized by Google

plicatae sint in commentario quaequae ulla ratione dubia videri possint. Accuratius quam a reliquis factum est usum loquendi Aeschyli, tragicorum, lyricorum, tum eum qui eorum est communis, tum eum in quo quisque differt, investigandum curavi, id quod nunc facilius fit, quum indicibus in principes hos poetas simus instructi: qua lege quum me obstrinxerim, saepe ea certiorem me reddidit in eligendo eo quod verum est in locis ambiguis. Multa, quae priores mira et intolerabilia putaverant, explicanda existimavi ex insigni arte ea, qua dictionem in rebus singulis pendentem a motu animi eius qui loquitur exhibuit poeta, minime adhuc satis demonstrata. Quod praeterea gravissimum et saepius neglectum vidi: operam dedi, ut explicarentur omnes poetae loci ex iis sententiis, quae aevi illius erant communes: inter quas nulla est magis insignis iis, quae iustitiam sortiumque distributionem respiciunt: in quibus multae sunt, quae maxime differant ab iis quae nostri homines Graecis poetis tribuunt. Aliorum interpretationes nunquam adscripsi non addito auctoris nomine, saepius vero in brevius redactas. Quae vero et a me ipso et ab aliis, quos serius adii, reperta sunt, loci potissimum, quibus explicatio quaepiam probaretur, in iis non semper eius, qui idem, quod ego, egerat, nomen addidi, attamen raro omisi, inventionis honorem in singulis rebus haud avide captans.

Novos quos adirem lectionis fontes non habui: tamen editiones Aldi, Turnebi et Victorii accurate denuo comparavi et iis, quae exstant, collationibus librorum diligenter usus sum. Coniecturas tum meas tum alienas rarissime recepi, et nonnisi eas, quae omni carere videbantur dubitatione. Neque enim saepe opus est coniecturis in hoc textu, violentis nusquam.

Versus ita distribui, ut in initio uniuscuiusque, qui verus versus est dicendus, ponerem literam

Digitized by Google

maiusculam, ubi vero longiores sunt tales versus, singulorum ordines vel ordinum iuga (velut dimetros) a minuscula litera incipientia disiungerem, quo facilius perspiciatur universa totius versus vel systematis ratio. Enumerationem vero ad singulas lineas institui, ut quae ad interiorem versuum rationem nihil valeat. Ubi locos e reliquis Aeschyli fabulis citavi, Porsoni secutus sum enumerationem, quae in tota hac editione Aeschyli alteri uniuscuiusque tragoediae margini adscribetur.

In dissertatione metrica numeri rationem schematis exhibui, in quibus singula numerorum genera primaria uniuscuiusque nominis litera designavi. In quibus minuscula litera Latina numeri metrum sollemne et universum designat, minuscula Graeca metrum aliquanto brevius, maiuscula Latina metrum una parte longius, maiuscula Graeca eo etiam aliquanto magis extensum. Quod nonnullorum signorum duplex est sensus, eo ne offendaris, quia in ratione quae inter singula signa iunctim posita intercedit, omnia versantur, eaque in omnibus exemplis explicantur.

τ *dipodia troch. cat.* — t *dipodia troch. acat.* — T *modo tripodia troch., modo tetrapodia.* — *T tetrapodia troch. modo cat., modo acat.*
ι *iambus singularis.* — i *dipodia iamb.* — J *tripodia iamb. etc.*
δ, d, D *dactylica.* — α, a, A *anapaestica.*
c, C *cretici.* Ch. *Choriambus.* Io. *ionicus.*
Doch. *dochmiacus.* dch ιc ιτ *dochmius (iamb. et cret.)*
λ, λ^2, l, L *logaoedica.* — Ph. *Pherecrateus.* — Gl. *Glyconeus.*
+ *basis.* — * *basis cum anacrusi.*

Vocabulo antispastici nonnisi ad designandam componendi rationem, velut iambici et trochaici, cretici et dactylici ordinis, usus sum, quum singulos pedes antispastos nusquam inveniri mihi persuasum sit. In anapaesticis ubi a sententiarum ambitu discrepant fines systematum, inquisivi in rationem

eius rei, velut ad v. 67, 728, 738 in Comm., eodem studio, quod in aliis locis huic rei navavit Hermannus. Erunt fortasse, qui argutias dicant has disputationes, neque talium rerum rationem habitam esse ab Aeschylo contendant. Sunt vero haec non magis arguta, quam si hodie signa interpunctionis ex interiori potius quam externa sententiarum ratione disponenda curat scriptor aliquis. Neque anxie haec excogitantur a poetis, sed sponte fiunt: sponte forma metrica cum ratione sententiarum optime et aptissime congruit: utrum conscius ubique poeta sibi fuerit huius rationis necne, nihil interest; nostrum est rationem demonstrare.

Fabulam in tragoedia tractatam universamque trilogiae rationem interiorem exhibebo in commentatione Eumenidum editioni subiicienda, quum nunc ab hoc consilio perficiendo morbo impeditus sim. Interea mihi ad ea relegandum est, quae de hac re dixi in Theologumenis Aeschyli p. 157 sqq., ubi quidem nonnisi rationem e rebus divinis petitam exhibere potui.

In annotatione critica his usus sum signis librorum Mss. et editionum:

M. codex Mediceus Florentiae asservatus in bibliotheca Mediceа Laurentiana (Plut. XXXII, nr. 9), saeculi decimi, omnium antiquissimus, optimae auctoritatis, etsi a mendis non immunis. Collatus a Salvinio in usum Needhami, e cuius schedis varias lectiones exscripsit Askewius (Ask. Askew.): cuius schedis usus est Butlerus (M. Butl.). Altera Salvinii collatione margini exemplaris editionis Stanleianae adscripta usus est Blomfieldius (M. Blomf.). Collationes non admodum accuratae. Nova nuper facta, cuius lectiones exhibet editio Aeschyli Weigeliana in Bibl. Class. 1827. Quam, ubi a Salviniana discrepat, signo M. II. designavi, Salvinianam M. I. Ubi probabile est scriptam esse in illo codice lectionem quampiam propterea, quod legitur ea in editione Schützіana, quae cum M. II. collata est, declaravi id signo (M.). Ceterum in

hoc libro sunt lacunae a v. 285 *ad v.* 991 *et a v.* 1078 *usque ad finem.*

Ph. Philelphianus, aut idem aut accuratum eius apographum, asservatum Florentiae (Plut. XXXI, 1).

G. Guelferbytanus saeculi decimi quinti, cum Aldina saepissime concinens. In hoc prior lacuna eadem, posterior inde a v. 1081 *usque ad finem. Collatus ab Askewio et Schützio. Multae mendae, sed absunt correctiones. Neque hic liber Aldinae apographum, neque Aldina ex hoc ipso codice expressa est: id quod demonstravi Allg. Schulz.* 1833. *II. fol.* 63.

Fl. Florentinus saeculi decimi quarti, integras exhibens tragoedias, Agamemnonem et Eumenides, asservatus Florentiae (Plut. XXXI, 8). *Insunt correctiones grammatici, mediocriter adhibitae, sed dubiam tamen reddentes libri fidem. Collatus a Bencino et Poggio in usum Blomfieldii, et denuo in usum editionis Weigelianae, sed in iis tantum locis, ubi lacuna est in M. Hoc libro usus est Victorius.*

F. Farnesianus bombycinus, scriptus manu Dem. Triclinii, continens Agamemnonem integrum et reliquas tragoedias praeter Supplices. Multa ex arbitrio Triclinii correcta. Novit, sed non magni fecit librum Victorius. Diligentissime collatus ab Elmsleio. (Cf. Mus. Crit. Cantabrig. Nr. VII.) Nunc Neapoli servatus in museo regio (I, E, 5): *itaque a nonnullis dictus Neapolitanus.*

Ven. Venetus saeculi decimi tertii, asservatus Venetiis in bibliotheca D. Marci. Lacuna v. 47 — 1046. *Continet omnes tragoedias praeter Supplices. In multis locis concinens cum Robortelliana, ubi haec ab Aldina discedit. Quum idem sit in Florentino, probabile est Venetum et Florentinum pariter ac Robortellianum repetendos esse ex eodem fonte, quo ipse Mediceus. Collatus a Morellio in usum Blomfieldii.*

A. Aldina editio Venet. 1518, 8. *expressa e codice, qui ex eodem quo Guelf. libro descriptus est. Lacunae eaedem. Multae typographi mendae, vocabula et sententiae prave diremtae. Ipsae vero lectiones haud malae notae, et correctiones, si omnino adsunt, rarissimae et in singulis tantum literis adhibitae.*

R. Robortelliana Venet. 1552, 8. *Robortellus antiquo codice melioris notae quam ipse Flor., nedum Farn.*

usus. Paucae correctiones. Suas et Sophiani coniecturas margini adscripsit. Lacunae eaedem quae in G. et A. Quas primus observavit R. Scholia separatim edidit.

T Turnebiana Paris. 1552, 8. *paullo post Rob. Novis codicibus nullis usus est Turnebus in tragoediis Oresteae, multa e scholiis vel ex arbitrio correxit: sane non omnia false: sed nulla eius auctoritas. Robortellianam nondum novit: neque enim lacunas observavit, sed Agamemnonem et Choephoros pariter ac priores tanquam unam exhibuit fabulam, eaque personarum in Choephoris actarum nomina, quae desunt in Agamemnone, huius indici adiecit.*

V. Victoriana Paris. Henr. Stephani 1557, 4. *Victorius interdum Mediceo, saepius Flor. et Farn. usus primus integrum typis expressit Agamemnonem. Addita sunt scholia et post finem annotationes Stephani (St.). Interdum haud recte coniectura discessit Victorius a lectione Flor.*

Cant. Canteri Antv. 1580, 12. *editio critica.*

Stl. Stanleii Lond. 1663. *VII Voll. cum scholiis, fragmentis et commentario erudito, recentiorum omnium fonte.*

Pauw. Pauwii Hagae Comitum 1745, 4. *II Voll.*

Gl. Glasgowiensis 1795 *parata ignaro Porsono, cuius recensionem mala fide exhibet (Cf. Wolf. Anal. II,* 286). *Repetita a Tauchnitzio.*

P. Porsoniana Glasgow. 1806, 8. *repetita a Dindorfio paucis mutatis.*

Schütz. Schützii Hal. Sax. 1809 *sqq. V Voll.* 8.

Butl. Butleri Cantabr. 1809. *VIII Voll.* 8.; *IV Voll.* 4. *Ex omnibus editoribus pleraque quae interpretationi inserviunt congesta: neque deest apparatus criticus.*

Well. Wellaueri Lips. 1823. *II Voll.* 8. *Apparatus criticus non admodum accurate exhibitus. Accedit Lexicon Aeschyleum* 1830. *II Voll.*

Dd. Guil. Dindorfii Lips. 1827. — *Ddf. Guil. Dindorfii in Poetis Scenicis. Lips.* 1830.

Bl. Blomfieldii Cantabr. 1818. *ed. aucta Lips.* 1823.

B. Bothii Lips. 1831. *II Voll.*

Ahrens in Programmate Gymnasii Ilefeldensis April. 1832.

v. l. varia lectio.

Sch. Scholia.

Animadversiones in Aeschylum scripsit Abresch.

Medioburg. 1743. In omnium manibus versatur fabula Agamemno a Guil. Humboldtio eleganter in vernaculam linguam conversa, cui notas criticas adiecit Hermannus. Lips. 1816. Omnes Aeschyli tragoedias vertit H. Vossius Heidelb. 1826, cuius oratio minime Aeschylum sonat. Felicissime huic poetae operam dedit I. G. Droysen, qui Aeschyli tragoedias et fragmenta omnia in nostram linguam conversa et didascaliis instituta exhibuit Berol. 1832. 2 Voll.

Ceterum absoluta est haec editio Agamemnonis exeunte aestate anni 1832. Postea demum adeptus sum collationes M. II. et Fl. in editione Weigeliana: e quibus quae addenda sunt notis criticis et quae nunc ipse mutanda in his censeo, hic dabo:

V. 10. *M. ut Ven.* — *V.* 16. *M. ut G.* — *V.* 29. *M. ut G.* — *V.* 30. *M. ut Ph.* — *V.* 40. *M. ut G.* — *V.* 45 *v. l. M. ut v. l. Fl.* — *V.* 64. *M.* ἐριδομένου. — *V.* 66 *et* 91. *M. ut G.* — *V.* 106. *M. ut R.* — *V.* 110 *et* 113. *M. ut G.* — *V.* 114. (*M.*) φέρματι. — *V.* 116. *M. ut A.* — *V.* 141. *M.* πτάκα *ut em. P.* — *V.* 134. *M.* κράναι. — *V.* 141. *M.* παλίνορτος. — *V.* 155. αι *M. ut G.* — *V.* 177. κατέξενον. — *V.* 180. *M. ut A.* — *V.* 186. *M. ut vulg.* — *V.* 191. *M.* τί πῶς λιπόναυς τε. — *V.* 215. *M. ut F.* — *V.* 217. *M.* ἔβαλε. — *V.* 224. *M.* εὔθεν. — *V.* 247. *M.* ἐστιν. — *V.* 268. *M.* Μεσσαπίου *M. et ita legendum.* — *V.* 272. *M.* παιδίον ὠποῦ. — *V.* 285. *M.* τόγε. *Et ita legendum: cf. not. crit.* 105. — || — *V.* 287, 297, 320. *Fl. ut V.* — *V.* 342. *Fl.* ἔγουσαν. — *V.* 356, 370, 371. *Fl. ut V.* — *V.* 375. *Fl.* βέβακε. — *V.* 378. *Fl.* δῶμα *semel.* — *V.* 441 *et* 514. *Fl. ut V.* — *V.* 581. *Fl. ut F.* — *V.* 615. *Fl.* τρόβῳ. — *V.* 650. *Fl. ut V.* — *V.* 663. *Fl.* πολίται. — *V.* 723. *Fl. ut F.* — *V.* 768. *Fl.* αὐτοῦ. — *V.* 774. *Fl. ut F.* — *V.* 795, 835, 839, 871, 891, 897, 920, 927, 929. *Fl. ut V.* — *V.* 935. *Fl.* χορημάτων. — *V.* 965. *Fl.* μάζης βίᾳ. — || — *V.* 995. *M.* ἐκοῦσ' *et ita legendum: voluntaria, antequam vi traharis.* — *V.* 1007. *M. ut A.* — *V.* 1019. *M.* εὑρήσῃ. — *V.* 1020. *M. ut Fl.* — *V.* 1024. *M. ut F.* — *V.* 1044. *M. ut R.* — *V.* 1047. *M.* δορία. — *V.* 1052. *M.* μελάγχερῳ. — *V* 1055. *M. ut Y.* — *V.* 1076. *M. ut A.* — || —

V. 1087, 1150, 1161. *Fl. ut V.* — *V.* 1214. *Fl.* ἐνθνηοίμων. — *V.* 1230. *Fl.* φόβον. *Et ita legendum: horrorem sanguineum spirant aedes, audacter dictum ut* φόβον βλέπειν *Theb.* 488. *Cf. ib.* 386. *Ch.* 31. *Et Theb.* 45: φιλαίματον Φόβον. *Ag.* 991: αἱματηρὸν μένος. — *V.* 1269. *Fl.* κοινωσόμεθ'. — *V.* 1330. *Fl.* ῥύσας. *Servandum* ῥυσᾶς, *dictum ut* πολίας ἁλός. *Cf. Eur. Suppl.* 50. *Longa syllaba nihil offensionis habet.* — *Ib. Fl.* ὁρώμενον. — *V.* 1351. *Fl.* ἀντίετον. — *V.* 1430. *Fl.* ἰώ *semel.* — *V.* 1434. *Fl.* εὐσεβεῖ. — *V.* 1553. *Fl.* ἤ. — *V.* 1557. *Fl.* ἀλλὰ δυσφιλής. — *V.* 1570. *Fl. ut F.* — *V.* 1581. *Fl.* προσαίνειν.

D. Bonnae mense Iunio 1833.

SUMMARIUM.

Tres discernuntur in tragoedia Agamemnone actus, is, quo exspectatur rex revertens, in qua exspectatione adumbratur ratio culpae quam contraxerit, et victoriae quam reportaverit (— 638), is, quo paratur et perficitur eius caedes (— 1251), et is, quo ostenditur ea, quae caedem sequitur, regiae domus et civitatis perturbatio et exspectatio vindictae. Haec ut exhibeat, omnibus iis, quas Aristoteles recenset (Poet. 12), tragoediae partibus, quarum termini uno excepto non excedunt actuum fines, usus est poeta: nec externa solum est harum partium ratio, ut in multis tragoediis, sed unaquavis earum externa varietate designatarum certus quidem exhibetur fabulae progressus. Est prologus (v. 1— 39), ex quo comperiunt spectatores Troiae excidium nuntiatum iri facium signis, aedes vero laborare clandestinis malis, in quo apparent haec signa et cum iis spes laetioris fortunae. Est parodus (v. 40 — 232), exhibens tempus belli Troiani adhuc exactum, Graeciam viris vacuam, spem et metum alternatos in animo accedentis Argivorum senatus, quoniam e sacris a regina institutis apparet novi aliquid huic esse relatum. Scit enim ille divina aucto-

ritate susceptam esse expeditionem, at non sine portento designante sacrificium infaustum, quod vetustam domesticam discordiam denuo suscitaturum sit. Potest quidem salus restitui auctoritate Iovis: at revera exactum est illud sacrificium, domestico sanguine pollutus Agamemno: itaque verendum, ne excipiatur id ab illa discordia, quam vates, qui illud designavit, praedixit. Sequitur episodium primum (v. 233—329), exhibens rationem qua facium nuntius allatus sit, et spem victoriae non sine metu, ut salvus rediturus sit exercitus. Stasimum primum (v. 330—446), probabile censens excidium Troiae, quia omnem impietatem dii puniant, monens simul de tot Graecis Atridarum causa occisis, quae clades facile deorum hominumque invidiam provocet, ut non temere victoriae nuntio sit fides habenda. Episodium secundum (v. 447—638), quo certiores fiunt Argivi de victoria, at simul de tempestate, e qua solus salvus redeat Agamemno, qua abreptus sit alter princeps. Stasimum secundum (639—741), agnoscens deorum iudicium de Troianis pariter atque Graecis habitum propter utrorumque impietatem, de Troianis potissimum: monens omni sceleri instare ultionem: qua de causa redeuntem regem non integra laetitia salutat chorus. Episodio tertio accedit Agamemno victor, sed acerba multa expertus, secum ducens Cassandram captivam, quam commendat Clytaemnestrae, quae nimiis honoribus maritum excipit (v. 742—906). Stasimo tertio his consideratis in hac felicitate victoriae denuo surgit in animo chori memoria immolationis Iphigeniae, quae domestico sanguine regem maculavit (v. 907—958). Episodio quarto Cassandra vates captiva omnem interiorem rerum rationem exhibet, Furias inde a scelere Atrei aedibus inhaerentes, cuius vindictam moliatur affinis quidam, qui cum muliere coniuraverit, quae virum interfectura sit. Mors instat Aga-

memnoni et Cassandrae: sed accessurus est filius ultor (v. 959—1251). Occiditur Agamemno, terrore confunditur senatorum animus, apparet Clytaemnestra glorians de marito a se occiso in ultionem Iphigeniae, et de amicitia Aegisthi (v. 1252—1369). Stasimo quarto, anapaesticis a scena pronuntiatis (ἀπὸ σκηνῆς) interpellato, agnoscitur premi Clytaemnestram culpa caedis, adiutorem vero et auctorem sceleris fuisse genium illum, qui antiquam generis Pelopidarum discordiam foverit (1370—1492). Exodo (1493—1589) tyrannide civitatis Argivorum potitur Aegisthus.

Vides in his unaquavis parte augeri metum de Agamemnone conceptum, unaquavis parte certius intelligi id quod eius vitae minetur. Positus est hic metus in discordia et culpa domestica, qua premitur genus Pelopidarum, abs qua non immunis mansit Agamemno. Et primo quidem timetur, ne fallax sit victoriae nuntius, vel ne regi in reditu accidat infortunium, deinde crescit suspicio de fide mentis Clytaemnestrae: id quod coniunctum cum memoria culpae illius auget metum: denique certo intelligitur parari necem regis, cuius causa posita sit in illa culpa et discordia. Praeterea id observandum, finiri quamque partem tristi quadam exspectatione vel suspicione, nec stare ea, quae laetiora referuntur, sed opprimi a malis. In his omnibus vigentem cernimus auctoritatem Furiarum et genii aedibus infensi, qui potestate, quam primo scelere adepti sunt, magis magisque utuntur. Insigni arte in chori carminibus adumbratur crescens metus et periculum.

Ceterum liberali et generoso ingenio Aeschylus, nihil artem iudicans quod nihil est nisi artificiosum, e singulis fabulae rebus ea tantum exhibuit, quae ad explicandam universam erant necessaria, eaque omnia coniuncta exposuit, nulla temporis, quo ad ea revera gerenda opus erat, ratione habita: quum hoc nemo curaverit Graecus poeta. Minime

eodem omnia die transiguntur: imo alterius diei horam matutinam designavit v. 311, ubi Troiae adhuc commoratur exercitus, dum loquitur Clytaemnestra: alterius v. 617, ubi classis reditus narratur. Neque opus est hodie, ut defendamus poetam contra leges a solis Francogallis inventas. Quod facium signo victoria nuntiatur ante ipsum regis adventum, id optime institutum est, ut sufficiat tempus Clytaemnestrae ad parandum artificium, quo statim post reditum regem occisura est.

Clytaemnestrae mores eximia arte a poeta sunt exhibiti. Est mulier generosa, a turpitudine longe aliena, forti ingenio excellens, saeva, ubicunque commovetur eius animus; at prudens, iustitiae divinae bene gnara, neque expleto odio contra eos saeviens, a quibus nihil timendum. Nihil in eius animo inest protervitatis vel petulantiae, Aegisthi amorem nusquam commemorat, sed nonnisi amicitiam, eamque semel. Ne impudentiae quidem criminis accusanda est: is enim non est impudens, qui verum odium, quo repletur, libere enuntiat. Duplex est ratio, qua loquitur: prior callida, qua consilium tegit, posterior atrox et nihil reverita, quum effectum est consilium. In utraque non deest nobilis indoles. Prioris rationis eximia exempla sunt v. 456, 560 sqq., fictum desiderium 787 sqq., ficta laetitia 827 sqq. Amoris loco adulatione maritum excipit 840, invidiam ei conflatura, quam frustra verbis removet. Posterioris exempla sunt v. 1294, 1316, 1471, ubi Agamemnonis odium atrocissimum aperte profitetur. Cuius causam exhibet caedem Iphigeniae, quam materna diligit pietate v. 1339, 1354, 1440. Pietatem fovet etiam in Helenam, vetans chori convicia in hanc prolata v. 1386. Ira eius facile movetur: Cassandrae superbia offensa abit v. 990., et odio postea eam prosequitur 1362 sqq., succenset etiam choro, minas minis retribuens v. 1344. Tamen quum certa potita sit victoria, parcit

ei, et Aegisthum impedit, ne senes aggrediatur: satis enim sanguinis sparsum esse intelligit; v. 1485, 1570. In his conspicitur animus saevus quidem, sed non ab omni humanitate alienus, turbis violentis correptus, at longe generosior Aegistho, qui, cum multa iactet, nihil agit. De Aegistho pauca dicenda. Nihil in eo insigne, nisi ignavia v. 1145, 1520, 1548, 1559, 1581, 1587. Superbas fundit minas 1533, 1556, minime fortitudine, sed ereptis Agamemnonis divitiis tyrannidem occupaturus v. 1554.

Agamemno ingreditur glorians de victoria et vindicta sibi a diis concessa v. 742 sqq., omnium, quae sibi contigerunt, fontem ad deos referens v. 745, 761, 784, 860, modeste recusans divinos honores v. 855, 879. Comiter Cassandrae prospicit v. 882: res publicas regia cura administraturus est v. 776: itaque a civibus suisque omnibus, excepta regina, dilectus: cf. v. 34, 737. Sentit vero sese in felicitate sua premi invidia v. 765: neque certam et claram ipse adipiscitur fiduciam, qua hanc asperneturquia non integer est a scelere, quum filiam crudeliter mactaverit v. 197 sqq. Omnino is est eius animus, ut bene noverit id quod iustum est, neque tamen id agat, nunc hoc, nunc illo respectu turbatus. Ita diu abhorret ab impietate, denique vero devovet filiam v. 185 sqq.; diu religiosus veretur incessum in tapetibus, denique Clytaemnestrae obtemperat v. 853 sqq. 889. Vides in utroque coniuge vigere Furiae potentiam, in Clytaemnestra ita, ut ad saevitiam, in Agamemnone ita, ut ad impietatem suscipiendam commoveatur animus: quum proprie neque Clytaemnestram deficiat humanitas, neque Agamemnonem religio. Cassandrae animus vel in infortunio impavidus et superbus: ingenti dolore correpta de sua patriaeque sorte nihil omnino respondet Clytaemnestrae, quae comiter ipsam domum invitat v. 959 sqq. Idem hic animus sibi soli obtemperans cernitur in ea fraude, qua Apollinem

decipit v. 1129, haud reverita dei ultionem, qua mox acerbissime punitur. Diu lamentationibus indulgens fortiter tamen morti obviam procedit v. 1206, 1251: vindicem exspectans v. 1201, 1245. In custode insignis est pietas in regem et regiam domum v. 18, 34: in praecone laetitia de reditu 461, 509, 532, et gloriatio de victoria regis v. 482 sqq., qua felicitate vel molestissima mala superari censet.

Chorus compositus e nobilibus senibus Argivis, qui absente rege reipublicae prospiciunt et in discrimine senatorum instar sententias ferunt v. 1270 sqq. Choreutae sunt duodecim (ib.), illaque docta altercatio, utrum duodecim an quindecim choreutis usus sit Aeschylus, ita videtur dirimenda, ut modo hunc, modo illum numerum, ut res ferebat, putemus receptum. Quae enim de hac re narrant grammatici coniecturis potius quam testimoniis niti videntur, neque ulla cernitur ratio, cur definitus sit hic vel alter numerus. Id fortasse verum, antiquiore tempore duodecim tantum choreutas sollemni more exhibitos esse a chorego, postea vero vel Sophocli vel Aeschylo concessum esse maiorem numerum, quo fortasse indigebat fabula quaepiam; inepta vero videtur ea opinio, quasi inde ab eo tempore coactus fuerit poeta ad recipiendos quindecim, neque amplius placuerit chorus compositus e duodecim choreutis. Senes nostri, quamvis armati incedunt (v. 1273, 1567), sunt tamen invalidi, carentes robore ad pugnam necessario, ideoque domi relicti v. 72. In omnibus quae dicunt cernitur sapientia et modestia: modeste reginam venerantur v. 233, 346: regem pie salutant v. 715, neque tamen carent liberalitate in profitenda sententia de iis, quae sibi minus placent, modo de credula mente reginae, v. 439 sqq., modo de expeditione imprudenter a rege suscepta v. 731. Itaque quum ab omni adulatione longe alieni libere reprehendant quae repre-

hendenda videntur in rebus Agamemnonis, libere etiam interfecto rege horrorem et detestationem profitentur Clytaemnestrae v. 1321, 1329 sqq. 1348 sqq., neque ullo argumento, quod haec profert, ad excusandum eius scelus permoventur v. 1424. Forti animo resistunt Aegistho, cuius ignaviam contemnunt, neque pugnam cum eius satellitibus pertimescunt, cui interdicit Clytaemnestra: v. 1528, 1549, 1567. Tamen tarditatis aliquid senilis in nonnullis conspicitur sententiis inter eas, quae feruntur audito clamore moribundi regis. De hac re dixi ad v. 1270. Id vero maxime insigne est in iis, quae profert chorus, quod omnes hic res, quae geruntur, refert ad rationes divinas, ad iram Dianae, ad pietatem ab Agamemnone laesam, ad discordiam domesticam geniumque infensum, qui in genere Pelopidarum auctoritatem exerceat, ad Furiam Graecos pariter ac Troianos punientem. Simillimus huius chori est is, qui in Persis fabula exhibetur.

Scena ita comparata. Conspiciuntur aedes Agamemnonis, quarum tecto insidet custos in ea scenae parte, quae dici solet *θεολογεῖον*, abs qua mox descendit, aedes intrans. In media aedium fronte est porta lata, qua aperta conspicitur interior aedium pars, haud quidem intima, sed aula, in qua media est ara domestica (v. 980), ubi sacra parat Agamemno: prope quam labrum positum est, qua lavatur, in qua mortuus iacens cernitur v. 1301, 1326, sub aethusa, ut videtur. Ante aedes positae sunt deorum imagines, eorum, ut videtur, qui vocantur *ἀγώνιοι*, in hac autem fabula diserte designantur vocabulo *δαίμονες ἀντήλιοι*, quia versus orientem solem patent aedes v. 477. Inter has est imago Apollinis vialis (*ἀγυιάτου*) v. 1005: praeterea Iovis et Mercurii, quos cum Apolline adorat rediens praeco v. 467. In altera parasceniorum parte fert via versus mare, qua accedunt praeco, Agamemno eiusque comites; inaltera fert

via in urbem, unde accedit Aegisthus cum satellitibus. Clytaemnestra ex ipsis egreditur aedibus. Praeterea in ipsa scena ab altera portae parte videtur fuisse ianua habitaculi mulierum, commemorata Choeph. 878., ubi ex hac egreditur Clytaemnestra. In Choephoris enim eadem omnino ratione comparata est scena: ibi pariter atque hic aperiuntur ianuae et intus conspiciuntur corpora Aegisthi et Clytaemnestrae. Id modo mutatum, quod additum est sepulcrum Agamemnonis. Ceterum in nostra tragoedia nullus videtur fuisse huius ianuae minoris usus. Atque quum omnes scenae partes aequaliter distributae esse solerent, probabile est habitaculo mulierum ab altera parte portae oppositum fuisse alterum aedificium, ubi degerent aut servi aut hospites.

CORRIGENDA.

In textu: V. 188. l. *παρθενοσφάγοισιν.* — V. 213. l. *καλλιπρῴρου.* — V. 577. l. *σὺν.*

In Notis Criticis: V. 30. l. Ph. — V. 184. l. *χράναι* M. Blomf. — V. 519. l. *κατεψάναζον.* — V. 705. l. antepenult. l. dedi. — V. 869. dele T. — V. 892. l. Both. — V. 1010. l. *ἀγνιεῦ τ'* T. V. et dele *ἀγ.* T. — V. 1059. Adde: *πολυετεῖς* V.

In Commentario. p. 103. V. 40. l. 3. l. quot. — V. 50. adde: Similitudinis fons Hom. Od. XVI, 217. — p. 107. l. ult. l. senili. — V. 83 — 91. l. compereris. — V. 99. l. 2. l. Ch. 343. — V. 175. l. 1. dele signum]. — p. 131. l. 15. l. *λαιοστάτης.* — p. 133. l. 13. lege taeda pro pinus. — V. 279. l. 7. l. *στόλος.* — p. 135. V. 295 — 325 adde Cl. — V. 357. l. 4. l. *ψεύδεσσι.* — V. 358 dele: omniumque — v. 669. — p. 157. l. 7. l. interrogarit. — p. 161. l. 5. l. pridem. — V. 651. l. 3. l. quae artificiosior. — V. 560. l. 3. l. portam. — V. 600. pro calamitate l. lamentatione. — V. 683. l. XLVII. — V. 736. l. 5. l. metuat. — V. 758. l. 7. pone punctum post Hellanicus. — V. 800. l. 2. l. quot. — V. 844. l. reliqua. — V. 868. l. 2. l. non pro num. — V. 915. l. 15. adde. Ch. 485 (506). — V. 980. l. ult. l. alterum.

Digitized by Google

ΑΙΣΧΥΛΟΥ

ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ.

ΤΑ ΤΟΥ ΔΡΑΜΑΤΟΣ ΠΡΟΣΩΠΑ

ΦΥΛΑΞ.
ΧΟΡΟΣ.
ΚΛΥΤΑΙΜΝΗΣΤΡΑ.
ΤΑΛΘΥΒΙΟΣ ΚΗΡΥΞ.
ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ.
ΚΑΣΑΝΔΡΑ.
ΑΙΓΙΣΘΟΣ.

Personarum indici Ὀρέστης, Ἠλέκτρα, Τροφὸς **adiecti in T., e Choephoris, quae Agamemnoni adhaerebat. Deinde additur in A. et T.:** θεράπων Ἀγαμέμνονος ὁ προλογίζομενος, οὐχὶ ὁ ὑπὸ Αἰγίσθου ταχθεὶς φύλαξ **(Od. IV, 524.), sumta e fine argumenti.**

ΥΠΟΘΕΣΙΣ.

Ἀγαμέμνων εἰς Ἴλιον ἀπιὼν τῇ Κλυταιμνήστρᾳ, εἰ πορθήσοι τὸ Ἴλιον, ὑπέσχετο τῆς αὐτῆς ἡμέρας σημαίνειν διὰ πυρσοῦ. ὅθεν σκοπὸν ἐκάθισεν ἐπὶ μισθῷ Κλυταιμνήστρα, ἵνα τηροίη τὸν πυρσόν. καὶ ὁ μὲν ἰδὼν ἀπήγγειλεν· αὐτὴ δὲ τὸν τῶν πρεσβυτῶν ὄχλον μεταπέμπεται περὶ τοῦ πυρσοῦ ἐροῦσα· ἐξ ὧν καὶ ὁ χορὸς συνίσταται· οἵτινες ἀκούσαντες παιανίζουσι. μετ' οὐ πολὺ δὲ καὶ Ταλθύβιος παραγίνεται καὶ τὰ κατὰ τὸν πλοῦν διηγεῖται. Ἀγαμέμνων δ' ἐπὶ ἁπήνης ἔρχεται· εἵπετο δ' αὐτῷ ἑτέρα ἁπήνη, ἔνθα ἦν τὰ λάφυρα καὶ ἡ Κασάνδρα. αὐτὸς μὲν οὖν προεισέρχεται εἰς τὸν οἶκον σὺν τῇ Κλυταιμ-

Lin. 2. *πορθήσοι* em. Blomf. *πορτήσοι* A. T. *πορθήσει* V. — *ὑπέσχετο* om. A. R. T. inserto *ἔφη* post *σημαίνειν*.

l. 3. *σκοπὸν ἐκάθισεν ἐπὶ μισθῷ·* inventum grammatici. Custos ille est servus Atridarum, agendum est ei quod iubet regina, mercede non opus.

l. 5. *τὸν* om. A. R. T. — *μεταπέμπεται* cett. Hoc etiam commentus est grammaticus: minime senes convocat Clytaemnestra, qui sponte accedunt ad aedes regis, quum novi aliquid adesse sentiant e sacrificiis.

l. 7. *παιανιάζουσι* A. R.

l. 8. *Ταλθύβιος.* Nihil de hoc nomine in ipsa tragoedia, neque scimus, unde cognoverit grammaticus Aeschylum de hoc cogitavisse. Tamen probabile est rem ita se habere, quum omnino principalis Agamemnonis praeco sit Talthybius apud epicos et tragicos poetas.

l. 10. *ἑτέρα ἁπήνη.* Non satis patet, quot currus Agamemnonem secuti sint. Id sane probabile, ipso regio curru eum solum vectum esse triumphatorem.

μνήστρᾳ. Κασάνδρα δὲ προμαντεύεται, πρὶν εἰς τὰ βασίλεια εἰσελθεῖν, τὸν ἑαυτῆς καὶ τοῦ Ἀγαμέμνονος θάνατον, καὶ τὴν ἐξ Ὀρέστου μητροκτονίαν, καὶ εἰσπηδᾷ ὡς θανουμένη, ῥίψασα τὰ στέμματα. τοῦτο δὲ τὸ μέρος τοῦ δράματος θαυμάζεται ὡς ἔκπληξιν ἔχον καὶ οἶκτον ἱκανόν. ἰδίως δὲ Αἰσχύλος τὸν Ἀγαμέμνονα ἐπὶ σκηνῆς ἀναιρεῖσθαι ποιεῖ· τὸν δὲ Κασάνδρας σιωπήσας θάνατον νεκρὰν αὐτὴν ὑπέδειξε. πεποίηκέ τε Αἴγισθον καὶ Κλυταιμνήστραν ἑκάτερον διισχυριζόμενον περὶ τῆς ἀναιρέσεως ἐνὶ κεφαλαίῳ· τὴν μὲν τῇ ἀναιρέσει Ἰφιγενείας, τὸν δὲ ταῖς τοῦ πατρὸς Θυέστου ἐξ Ἀτρέως συμφοραῖς.

Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ ἄρχοντος Φιλοκλέους, Ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ, ἔτει δευτέρῳ. πρῶτος Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι, Χοηφόροις, Εὐμενίσι, Πρωτεῖ σατυρικῷ. ἐχορήγει Ξενοκλῆς Ἀφιδνεύς.

Προλογίζει δὲ ὁ φύλαξ, θεράπων Ἀγαμέμνονος.

l. 16. *θαυμαστόν ἐστι ὡς* Fl. — *ἔχον* A. R. T. Quod om. V. totum locum ita exhibens: *ὡς καὶ ἔκπληξιν καὶ οἶκτον ἱκανὸν ἐμποιεῖν*, e mera coniectura, ut videtur, quia non intellecta erat vis vocis *ἔχον*.

l. 17. *ἰδίως*, peculiariter. BLOMF. — *ἐπὶ* libri. Stanl. coni. *ὑπό*, quo non opus. — *ἐπὶ σκηνῆς* non satis accurate dictum, sed non false. Sane non in ipsa scena occiditur Agamemno, at tamen in eo loco post scenam, qui postea conspicitur ianuis aedium apertis, ut quasi augeatur scenae ambitus. Iusta quidem dictione haec theatri pars non scena appellatur, sed *προσκύκλωμα*: neque tamen graviter errat is, qui omnia, in quibus aliquid tragici repraesentatur, scenae nomine comprehendit. Adde, quod auditur clamor moribundi Agamemnonis, ut certo cognoscatur locus, ubi caedes parata est, a spectatoribus, vel antequam aperiantur ianuae. Satis apparet cogitavisse grammaticum potissimum de illo clamore regis, quum ei hoc opponat: *τὸν δὲ Κασάνδρας σιωπήσας θάνατον*. Et hoc ipsum erat peculiare in hac re, quod Aeschylus gemitum moribundi exhibuit. Si legeretur *ὑπό*, inceptum esset *ἰδίως*.

l. 19. *ἀπέδειξε* Fl.

l. 21. *ἑνὶ κεφαλαίῳ*. Recentiorum erat haec locutio. Gregorius de Filio, citatus a Budaeo Comm. L. G. p. 134: *ἑνὶ δὲ κεφαλαίῳ, τὰ μὲν ὑψηλότερα πρόσαγε τῇ θεότητι, τὰ δὲ ταπεινότερα τῷ συνθέτῳ*. BLOMF.

l. 22. *Ὀρέστου* A. R. *Αἰγίστου* Fl.

l. 24. *ὀγδοηκοστῇ* em. Meurs. Libri *εἰκοστῇ ὀγδόῃ*.

l. 25. *πρῶτος σατυρικῷ* Fl.

ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ.

ΦΥΛΑΞ.

Θεοὺς μὲν αἰτῶ τῶνδ' ἀπαλλαγὴν πόνων,
Φρουρᾶς ἐτείας μῆκος, ἣν κοιμώμενος
Στέγαις Ἀτρειδῶν ἄγκαθεν, κυνὸς δίκην,
Ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν·
Καὶ τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος βροτοῖς
Λαμπροὺς δυνάστας, ἐμπρέποντας αἰθέρι
Ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν, ἀντολάς τε τῶν·
Καὶ νῦν φυλάσσω λαμπάδος τὸ σύμβολον,
Αὐγὴν πυρὸς φέρουσαν ἐκ Τροίας φάτιν
Ἁλώσιμόν τε βάξιν· ὧδε γὰρ κρατεῖ

V. 2. μῆκος ἣν F. μῆκος δ' ἣν M. G. R. δ' ἣν A. δ' ἦν Sch. μῆκος ἦν T. — δ' additum, ne in ea, quam T. exhibet, lectione copula desideraretur. — μῆχος coni. Stanl.

V. 3. ἔγκαθεν G. A.

V. 5. βροτοὺς G. βροτοῖς θέρος Ven. Fl. F.

V. 7. ὅτ' ἂν G. A. R. — Versum uncis inclusit Valck.; def. Herm. de vers. spur. p. 4., H. Voss. Cur. Aesch. p. 14., et Well.

V. 10 sq. Ita Ven. F. Fl. R. v. l. St. ἐλπίζων G. κρατεῖν ἐλπίζω A. T. V. ἐλπίζει coni. Heath. — Alteram lectionem sic explicat Schützius: „ita virilem reginae animum me vincere spero.“ At tum genitivus cum κρατεῖν iungendus erat. Nihil illa significare potest nisi: „ita eius animum superiorem spero evasurum,“ id est: effecturum id quod optat. Tum vero insidiarum, quas struit regina, particeps videretur homo, qui Agamemnoni est deditissimus (34), et de flagitio reginae dolet (19, 38).

Γυναικὸς ἀνδρόβουλον ἐλπίζον κέαρ.
Εὖτ' ἂν δὲ νυκτίπλαγκτον ἔνδροσόν τ' ἔχω
Εὐνὴν ὀνείροις οὐκ ἐπισκοπουμένην
Ἐμήν, φόβος γὰρ ἀνθ' ὕπνου παραστατεῖ,
Τὸ μὴ βεβαίως βλέφαρα συμβαλεῖν ὕπνῳ,
Ὅταν δ' ἀείδειν ἢ μινύρεσθαι δοκῶ,
Ὕπνου τόδ' ἀντίμολπον ἐντέμνων ἄκος·
Κλαίω τότ' οἴκου τοῦδε συμφορὰν στένων,
Οὐχ ὡς τὰ πρόσθ' ἄριστα διαπονουμένου.
Νῦν δ' εὐτυχὴς γένοιτ' ἀπαλλαγὴ πόνων,
Εὐαγγέλου φανέντος ὀρφναίου πυρός.
Ὦ χαῖρε, λαμπτὴρ νυκτός, ἡμερήσιον
Φάος πιφαύσκων καὶ χορῶν κατάστασιν
Πολλῶν ἐν Ἄργει, τῆσδε συμφορᾶς χάριν.
Ἰοὺ ἰού.
Ἀγαμέμνονος γυναικὶ σημαίνω τορῶς
Εὐνῆς ἐπαντείλασαν ὡς τάχος δόμοις
Ὁλολυγμὸν εὐφημοῦντα τῇδε λαμπάδι
Ἐπορθιάζειν, εἴπερ Ἰλίου πόλις
Ἑάλωκεν, ὡς ὁ φρυκτὸς ἀγγέλλων πρέπει·
Αὐτός τ' ἔγωγε φροίμιον χορεύσομαι.

V. 11. Comma post *κέαρ* Dd., id quod immensam reddit periodum.

V. 12. *εὖτ' ἄν γε* v. l. Fl.

V. 14. *ἐμὴν* sine commate A. *ἐμοὶ* coni. Stanl., quod iungunt cum iis, quae sequuntur. Quo non opus (vide Comm.). Facilius corrigeres *ἐμῇ* (*εὐνῇ*).

V. 16. *ὅτ' ἄν* G. A. R.

V. 17 *ὕπνον* A. — *ἐκτέμνων* Ven. Fl., ubi manu antiqua suprascriptum *ἐν*.

V. 21. Post hunc versum exclamatio *ἰοὺ ἰού* posita ab Herm. Sed haec spectatur a *σημαίνω* (26), satisque exclamationis, quae sane primo aspectui consentanea est, inest in *ὦ χαῖρε*.

V. 22. *λαμπτήρ, νυκτὸς ἡμερ.* T. *λαμπτὴρ, νυκτὸς, ἡμερ.* A. Similes sunt loci v. 265. et Pers. 301. *ἦμαρ ἐκ νυκτός*. Et nostro loco schol.: *ἐκ νυκτὸς ἡμέραν διδούς*: quo ipsa nostra respici videtur lectio.

V. 23. *νῦν φῶς* Ven. Fl, F. — *πιφαύσκων* A. — *χωρῶν* G. A.

V. 26. *σημαίνω* M. G. A. R. T. *σημανῶ* F. V. At ab hoc verbo respicitur *ἰοὺ ἰού*, quod ipsum est hoc signum.

V. 27. *εὐνὴν* G. A. — Comma post *δόμοις* A. T. Vulgo post *τάχος*: et revera domi sacra facit regina.

Τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι
Τρὶς ἐξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας.
Γένοιτο δ' οὖν μολόντος εὐφιλῆ χέρα
Ἄνακτος οἴκων τῆδε βαστάσαι χερί.
Τὰ δ' ἄλλα σιγῶ, βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ μέγας
Βέβηκεν· οἶκος δ' αὐτός, εἰ φθογγὴν λάβοι,
Σαφέστατ' ἂν λέξειεν. ὡς ἑκὼν ἐγὼ
Μαθοῦσιν αὐδῶ, κοὐ μαθοῦσι λήθομαι.

ΧΟΡΟΣ.

Δέκατον μὲν ἔτος τόδ', ἐπεὶ Πριάμῳ
μέγας ἀντίδικος,
Μενέλαος ἄναξ ἠδ' Ἀγαμέμνων,
διθρόνου Διόθεν καὶ δισκήπτρου
τιμῆς, ὀχυρὸν ζεῦγος Ἀτρειδᾶν,
στόλον Ἀργείων χιλιοναύταν
τῆσδ' ἀπὸ χώρας
ἦραν, στρατιῶτιν ἀρωγάν,
Μέγαν ἐκ θυμοῦ κλάζοντες ἄρη,
τρόπον αἰγυπιῶν,
οἵτ' ἐκπατίοις ἄλγεσι παίδων

V. 29. ἐπορθριάζειν G. ἐπ' ὀρθριάζειν R. A.

V. 30. ἀγγέλων Th. Fl. A.

V. 32. εὖ πεσὸν παθήσομαι Suid. s. v. τρὶς ἐξ.

V. 33. βαλοῦσα Suid. l. c. φρυκτορίας A. — τῆς ἐμῆς Suid. Phot.

V. 37. φθόγγον Schütz. sine libris. Cf. Eur. Hippol. 408. WELL.

V. 38. λέξει. ὡς Fl.

V. 39. καὶ οὖ G. A. κ' οὖ V, κοὖ F.

V. 40. ἐπὶ A. T. F. — Πριάμῳ G. A. R. T., quod recepi propter auctoritatem G. et elegantiam structurae. Vulg. Πριάμου, et sic Schol. Eur. Phoen. 246. citans v. 40 et 41.

V. 44. Ἀτρειδᾶν G. F. R. V. Ἀτρειδῶν A. T.

V. 45. Ἴλιον αὐτὰν v. l. Fl. et Sch.

V. 46. Post hunc versum lacuna in cod. Ven. usque ad v. 1046.

V. 47. στρατιώτην A. R.

V. 48. κλάγξαντες F. Fl. v. l. St.

V. 50. ἄλγεπι ποδῶν A. ἄλγεσσι ποδῶν T. ἄλγεσσι παίδων V.

ὕπατοι λεχέων στροφοδινοῦνται,
πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι,
δεμνιοτήρη
πόνον ὀρταλίχων ὀλέσαντες·
Ὕπατος δ' ἀΐων ἤ τις Ἀπόλλων,
ἢ Πάν, ἢ Ζεύς, οἰωνόθροον
γόον ὀξυβόαν τῶνδε μετοίκων,
ὑστερόποινον
πέμπει παραβᾶσιν Ἐρινύν.
Οὕτω δ' Ἀτρέως παῖδας ὁ κρείσσων
ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ πέμπει ξένιος
Ζεὺς πολυάνορος ἀμφὶ γυναικὸς
πολλὰ παλαίσματα καὶ γιοβαρῆ,
γόνατος κονίαισιν ἐρειδομένου
διακναιομένης τ' ἐν προτελείοις
κάμακος, θήσων Δαναοῖσιν
Τρωσί θ' ὁμοίως. ἔστι δ' ὅπη νῦν
ἔστι· τελεῖται δ' ἐς τὸ πεπρωμένον·
οὔθ' ὑποκλαίων οὔθ' ὑπολείβων

V. 53. *δεμνιοτῆρι* A.

V. 54. *γόνον* coni. Musgr.

V. 55. *δαΐων* A.

V. 57. Comma post *ὀξυβόαν*, non post *μετοίκων* Pauw. S. B. Bl. Well., qui *μετ.* de pullis interpretatur, e nido in alias sedes expulsis. At non expulsi sunt pulli, sed trucidati.

V. 59. *παρὰ βᾶσιν* A.

V. 60. *Ἀτρέος* T.

V. 63. *γαιοβαρῆ* T.

V. 64. *ἐρειπομένου* F. cum gl. *πίπτοντος*. v. l. Fl.

V. 65. *πρωτελείοις* Fl.

V. 66. *Δαναοῖσιν* G. A. R. Vulgo *Δαναοῖσι*.

V. 69. *ὑποκλέων* G. *ὑποκλίων* A. *ὕποκαλων* coni. Casaub. *ὑποκλάζων* Pauw. *ἐπικλείων* B. At vide Comm. — *ἐπιλείβων* coni. Schütz.

V. 70. *δακεύων* A. *δοκεύων* T. *οὗτοι δακρύων* (gen. plur.) coni. Ahrens.

V. 72. *ἀτίτα* R. V.; Stl. P. Bl. *ἀτιταῖ* G., quod pro eodem facit. *ἀτιταὶ* F. *ἀτίται* Fl. A. T.; S. Well. sensu inhonorati, ut Eum. 257. Sed ibi *ἀτίτας* esset impunitus, nusquam inhonoratus, neque *ἀτίτης* sensu passivo Graeca vox esse potest. Imo illo loco *ἀτίτας* est accusativus, pendens a *λάθῃ*, neque ad Orestem, sed ad Furias referendum. Cf. ib. 145, 780, 793, 839, 845. Prae-

οὔτε δακρύων ἀπύρων ἱερῶν
ὀργὰς ἀτενεῖς παραθέλξει.
Ἡμεῖς δ' ἀτίτᾳ σαρκὶ παλαιᾷ
τῆς τότ' ἀρωγῆς ὑπολειφθέντες
μίμνομεν, ἰσχὺν
ἰσόπαιδα νέμοντες ἐπὶ σκήπτροις.
ὅτε γὰρ νεαρὸς μυελὸς στέρνων
ἐντὸς ἀνάσσων
ἰσόπρεσβυς, ἄρης δ' οὐκ ἔνι χώρᾳ,
τόθ' ὑπέργηρως, φυλλάδος ἤδη
κατακαρφομένης, τρίποδας μὲν ὁδοὺς
στείχει, παιδὸς δ' οὐδὲν ἀρείων
ὄναρ ἡμερόφαντον ἀλαίνει.
Σὺ δέ, Τυνδάρεω
θύγατερ, βασίλεια Κλυταιμνήστρα,
τί χρέος; τί νέον; τί δ' ἐπαισθομένη,
τίνος ἀγγελίας
πειθοῖ περίπεμπτα θυοσκινεῖς;
πάντων δὲ θεῶν τῶν ἀστυνόμων,

terea ἀτίτης solo Hesychii loco nititur: ἀτίτης, ἄτιμος, ἀτιμώρητος, ἄπορος, ἄδικος: quae turba satis docet nescivisse lexicographum, qualis haec sit vox. Nulla eius revera exstat forma nisi ἄτιτος. — ἀτίτης esset qui non ulciscitur, ut τίτας ultor Ch. 67.

V. 75. ἰσόπεδα R. Fl.

V. 76. ὅ τε coni. Stl., quem sequuntur omnes, sine ulla auctoritate.

V. 77. ἀνάσσων coni. Herm. Quid vero est medulla saliens?

V. 78. ἔνι γ' ὥρᾳ coni. Heyn. et Herm. — χώρα Fl.

V. 79. τίθιπερ γήρως M. τιθίπερ γήρως G. τίθι περ γήρως A. τίθιπερ γήρος R. τόθη περ γήρως T. τόθϊπερ γήρως Fl. τόθ' ὑπέργηρων F. V. Ex his efficitur, quum nullum illud τι praebeat sensum, optima auctoritate niti solam lectionem τόθ' ὑπέργηρως. Ex em. τό θ' ὑπέργηρων Stl. et rell. etiam ὅτε v. 76 mutato in ὅ τε. Quid est quod lucremur? Primo constructionem, quae dicitur ad sensum τὸ ὑπέργηρων — ἀρείων. Quod non pravum, neque tamen commendans. Deinde si totam spectas periodum: Et infantium medulla senilem aequat, et aetas grandaevo tribus pedibus et robore puerili usa somnio similis apparet. In quibus neque distincta et certa ineat oppositio neque ulla invenitur ratio, cur omnino describatur aetas puerilis. — φυλάδος A.

V. 80. τρίποδος Fl. F.

V. 82. ἡμερόφαντον M. G. A. R.

V. 87. πυθοῖ Fl. — θυοσκεῖς T. θυοσκοεῖς v. l. F. cum Sch.

ὑπάτων, χθονίων,
τῶν τ' οὐρανίων τῶν τ' ἀγοραίων
βωμοὶ δώροισι φλέγονται·
Ἄλλη δ' ἄλλοθεν οὐρανομήκης
λαμπὰς ἀνίσχει,
φαρμασσομένη χρίσματος ἁγνοῦ
μαλακαῖς ἀδόλοισι παρηγορίαις,
πελάνῳ μυχόθεν βασιλείῳ.
Τούτων λέξασ' ὅ τι καὶ δυνατὸν
καὶ θέμις αἰνεῖν,
παίων τε γενοῦ τῆσδε μερίμνης,
ἢ νῦν τοτὲ μὲν κακόφρων τελέθει,
τοτὲ δ' ἐκ θυσιῶν ἀγανὰ φαίνειν

V. 90. Uncis incl. Pauw. Heath. P. S. Om. B. Def. Herm. Verss. spur. p. 9. Blomf. Well., non satis demonstrantes, quomodo differant dii *ἀστυνόμοι* et *ἀγοραῖοι*, quomodo *ὕπατοι* et *οὐράνιοι*. Vid. Comm.

V. 91. *δώροις* G. Fl. A. R.

V. 94. *χρίματος* M. R. *χρήματος* A.

V. 96. *μηχόθεν* R.

V. 97. *λέξ' ὅτι* A. *λέξ' ὅτι καί σοι* T. — *λέξον θ' ὅ τι σοι* coni. Bl. *λέξεις* coni. Both., qui confert Soph. Oed. Tyr. 1517. Ant. 84. Quod non displicet, quanquam ferri potest vulg.

V. 98. *εἰπεῖν* F. V.

V. 100. *νῦν ἔσθ' ὅτε μὲν* G. *ἢ νῦν εὖθ' ὅτε κακόφρων* A. Quae videntur orta ex glossematis. Well. coni.: *ἢ νῦν ἔσθ' ὅτε κακόφρων τελέθει*, sono insuavi. — *ποτὲ* pro *τοτὲ* Dd.

V. 101. *ἀγανὰ φαίνεις* M. G. T. *ἄγαν ἀφαίνεις* A. *ἀγανὰ φανεῖσ'* R. *ἀγανὰ φαίνουσ'* F. V. Quam lectionem, pessima auctoritate fulcitam, omnes receperunt, quum quavis bona nitatur *φαίνεις*, quod sensu caret, ideoque in R. mutatum est in *φανεῖσ'*, et deinde metri causa in *φαίνουσ'*, a Triclinio ut videtur. *φαίνουσ'* est ostendens, non apparens, quicquid doctae disputationis proferant Wunderlich. et Well., neque dictum esse potest pro ostendens sese nisi addito participio *οὖσα*. Itaque levissima mutatione lectionis *φαίνεις*, quae omni probatur auctoritate, scripsi *φαίνειν*.

V. 102. *ἄπλειστον* M. G. A. R. Bl. coni. *φροντίδα πλείστην*.

V. 103. *τὴν θυμόφθορον λύπης φρένα* M. Ph. G. A. R. *τὴν θυμοβόρον λυποφρένα* F. *τὴν θυμοβόρον φρένα λύπης* T. *τὴν θυμοβόρον λύπης φρένα* V. Varia infelicia editores. Vides omni auctoritate niti *λύπης*, omni *θυμοβόρον*, nam *θυμόφθορον* est error levis, omni *φρένα*. Haec si lege metrica adornas, habes lectionem T., de qua non est dubitandum, modo scribas *θυμόβορον* sensu passivo, ut in optimis codd. *θυμόφθορον*.

ἐλπὶς ἀμύνει φροντίδ' ἄπληστον
τὴν θυμόβορον φρένα λύπης.

Κύριός εἰμι θροεῖν ὅδιον κράτος αἴσιον ἀνδρῶν στρ.
Ἐκ τελέων· ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει
Πειθὼ μολπάν,
Ἀλκὰν σύμφυτος αἰών·
Ὅπως Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος Ἑλλάδος ἦβαν
Ξύμφρονα ταγᾶν
Πέμπει σὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτορι θούριος ὄρνις
Τευκρίδ' ἐπ' αἶαν,
Οἰωνῶν βασιλεὺς βασιλεῦσι νεῶν ὁ κελαινὸς ὅ
τ' ἐξόπιν ἀργίας,

V. 104. ὅσιον κράτος codd. Aristophanis Ran. 1276. uno excepto. Schol. ibi refert Asclepiadem scripsisse ὅσιον, plerosque αἴσιον. Videtur hic latere confusio vocum ὅσιον et αἴσιον.

V. 105. ἐκτελέων codd. et edd. At ἐκτελὴς est effectus Pers. 218, maturus Hesiod. Opp. 464., ἐκτελεῖν efficere Pers. 228. Soph. Tr. 1187; itaque ne participium quidem h. l. esse potest ἐκτελέων. — Stl. Casaub. Heath. Both. Bl. coni. ἐντελέων sensu eorum, qui magistratum gerunt, τῶν ἐν τέλει. At hoc non est ἐντελὴς in dictione tragicorum (reperitur nonnisi apud Timaeum et Suidam, ex Platone, ut videtur, desumtum), sed adultus, integer: Ch. 250. Soph. Tr. 760. Itaque scripsi ἐκ τελέων, ut fortasse legitur in V., ubi dubium aliquod inter utramque vocem intercedit spatium. — καταπναίει G. καταπνεύει Fl. F. καταπνέει R. T. V.; et omnes praeter B. Well. et Ddf., qui καταπνείει, quod est in A. et omnino necessarium. Ionismos Aeschyli vide Bernhardy Synt. Gr. p. 12. not. 25., et praeterea Pers. 761. ἐξεκείνωσεν. Theb. 725. παραιβασίαν. Suppl. 107. δυσπαραιβούλοισι, et ib. 436. ὁμοίαν, quae res metrica requirit. Cf. Ag. 136. καλέω. 128. αἰετῶν. 874. δήριος. 1371. αἰεί. 1423. ἐασί (?). Et Theb. 552. ὄλοιατο. Pers. 369. φευξοίατο. ib. 360. ἐκσωσοίατο. Cf. Ephem. Schol. 1832. II, 55. p. 445.

V. 108. ἦβαν libri, Schol. et Aristoph. Ran. 1285., ubi sex codices ἦβας, quod receperunt editores: equidem illam satis certam arbitror, ἦβας vero ortum ex errore, quo haec vox a κράτος gubernari putata est.

V. 109. τὰν γᾶν M. A. R. τὰν γὰν G. ταγὰν F. Fl. V., recc. ταγᾶν T. Fortasse in his latet ταγᾷ.

V. 110. πέμπῃ R. V. — σὺν G. A. R. T. Aristoph. l. c. ξὺν V. recc. — δορὶ καὶ χερὶ πράκτορι Arist. Ran. 1316. δορὶ δίκας πράκτορι, G. F. T. V. πλάκτορι A.

V. 111. νέων A. T. — ἀργείας G. A. — ἀργίας, quod rell. omnes bisyllabum, ut καρδίαν Suppl. 72.

Φανέντες ἴκταρ μελάθρων χερὸς ἐκ δορυπάλτου
Παμπρέπτοις ἐν ἕδραισιν,
Βοσκόμενοι λαγίναν, ἐρικύματα φέρματι, γένναν,
Βλαβέντα λοισθίων δρόμων.
Αἴλινον, αἴλινον εἰπέ, τὸ δ' εὖ νικάτω.
Κεδνὸς δὲ στρατόμαντις ἰδὼν δύο λήμασι δισσοὺς ἀντ.
Ἀτρείδας μαχίμους ἐδάη λαγοδαίτας
Πομπούς τ' ἀρχάς·
Οὕτω δ' εἶπε τεράζων·
Χρόνῳ μὲν ἀγρεῖ Πριάμου πόλιν ἄδε κέλευθος,
Πάντα δὲ πύργων
Κτήνη πρόσθε τὰ δημιοπληθῆ μοῖρ' ἀλαπάξει
πρὸς τὸ βίαιον.

V. 112. οἱ ante φανέντες addit Fl. — δορυπάλτου M. F. Fl. R. δορύπαλκτου G. δορυπάλκτον A. δοριπάλτου T. V.

V. 113. παμπρέπτοις em. Abresch. παμπρέποις vulg. Quod prave formatum; quae a πρέπειν derivantur, ea aut in —πτος aut in —πης exeunt. παμπρέποισιν Fl. παμπρέπτεσιν F. — ἕδραισιν G. A. R. ἕδραις F. Fl. Vulgo ἕδραισι.

V. 114. βοσκομένην F. — ἐρικύμονα F. V. — φέρματι G. A. R. T. φέρβατι M. Buttleri. φέρματα M. Blomfieldii et Ph. φέρβοντο F. V.

V. 116. αἴλινον semel Fl. — τόδ' εὐνικάτω A.

V. 117. δύω R. (minime A., ut Well.) — λήμμασι Fl. F. — πιστοὺς coni. Lobeck. sine causa.

V. 118. Ἀτρείδας coni. Monk., ut Pind. Pyth. XI, 31., quo non opus. — λογοδαίτας M. Ph. A. R. T. λαγαδαίτας F. λαγοδαίτας V.

V. 119. ἀρχὰς M. G. A. R. T., de Atridis dictum ut Eur. Phoen. 987. — ἀρχοὺς F. V.

V. 120. οὕτω δ' οὖν εἶπε Fl.

V. 123. δημιοπλησθῆ A. — λαπάξει F.

V. 124. οἷον F. T. Sch. οἶον A. R. V. — ἄγα em. Herm. Libri ἄτα (A. ἄτα) contra metrum. ἅσα coni. Burnei. — κνεφάσεις F. κνεφάση A. — προτυπὲς G. A. T. προτυφθὲν F.

V. 125. στρατωθὲν M. Ph. G. Fl. F. A. R. στρατευθὲν T. V. — οἴκω A. — ἔπι, φθόνος A.

V. 126. πτανοῖσιν M., quod metrica res postulat. πτανοῖσι A. R. T. V. πτανοῖς F. Fl. — κυσὶν M. R.

V. 127, πτάκα em. P. πτᾶκα R. πτῶκα F. T. V. πτάων καθυμένοισιν A.

V. 128. αἰετῶν libri. P. Bl. ἀετῶν.

V. 129. αἴλινον semel Fl. — τὸ δ' εὐνικάτω A.

Οἷον μή τις ἄγα θεόθεν κνεφάσῃ προτυπὲν
στόμιον μέγα Τροίας
Στρατωθέν. οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις
ἁγνά,
Πτανοῖσιν κυσὶ πατρός,
Αὐτότοκον πρὸ λόχου μογερὰν πτάκα θυομένοισι·
Στυγεῖ δὲ δεῖπνον αἰετῶν.
Αἴλινον, αἴλινον εἰπέ, τὸ δ' εὖ νικάτω.
Τόσσον περ εὔφρων καλὰ ἐπῳδ. 140.
Δρόσοισιν λεπτοῖς μαλερῶν λεόντων,
Πάντων τ' ἀγρονόμων φιλομάστοις
Θηρῶν ὀβρικάλοισι τερπνά,
Τούτων αἰτεῖ ξύμβολα κρᾶναι, 144
Δεξιὰ μέν, κατάμομφα δὲ φάσματα στρουθῶν.

V. 130. τόσσον M. T. V. τόσον Fl. F. τόσσων G. A. R. — τόσσον, ut Soph. Ai. 184., Well. — ἄφρων καλὰ A. ἄφρων καλα — δρόσοισιν T. εὔφρων καλὰ M. G. R. εὔφρων ἃ καλὰ F. V. Omisi articulum cum libris optimis.

V. 131. δρόσοισιν M. Ph. G. A. R. T. V. δρόσοις F. δρόσοισι coni. Well. — Non est, quod offendamur duplici basi antispastico modo composita. Cf. Soph. Ant. 103. ἐφάνθης ποτ'. Pind. Pyth. II, 24. Isthm. VII, 1 et 5. Ibi posterior basis trochaica; spondiaca rarior, sed minime dubia: Suppl. 700: προμαθεὺς εὐκοινόμητις ἀρχά (in antistropha v. 706: δαφροφόρωισιν βουθύτοισι τιμαῖς ⏑ ⏑́⏑ ⏑ — ‖ ⏑́ ⏑ — ⏑ — —). Cf. Ag. 388. Et v. 135. habes exitum antispasticum in ipsa hac epodo.

Ib. λεπτοῖς cm. Herm. et Well. ἀέλπτοις M. Ph. G. A. R. T. ἀέπτοις Fl. ἀέπτοισι F. V. sine sensu.

Ib. λεόντων em. Stl. ex Etym. M. p. 377, 37. v. ἕρσαι. καὶ Αἰσχ. ἐν Ἀγ. τοὺς σκύμνους τῶν λεόντων δρόσους κέκληκε, μεταφράζων τοῦτο (locum Homeri, ubi ἕρση de catulo, Od. IX, 222). Libri ὄντων, R. ὁλτων Om. Fl. F.

V. 133. ὀκρικάλοισι G. A. ὀβρικάλοις Fl. F. — Colon post τερπνὰ T., punctum A. Comma ante τερπνὰ V. et recc. At num omina ulla iucunda sunt iis, qui in ipsis his ominibus devorantur? Recte igitur ad τερπνὰ dicitur in gl. Far.: Ἄρτεμις.

V. 134. αἰτεῖ libri. αἰτῶ coni. S. αἰνεῖ coni. Humboldt. αἰνεῖν coni. Both. Sine causa. — κρᾶναι M. Butl. G. Fl. F. T. κρᾶναι M. Blomf. A. R. φάναι V. Sch.

V. 135. κατάμοφρα R. — φάσματα τῶν στρουθῶν Fl. F. — φάσμα στρουθῶν coni. Lachmann. — Clausula trochaica, qualis

Ἰήϊον δὲ καλέω Παιᾶνα,
similis esse aestimatur, est senilis. — *ἄρης δ' οὐκ ἔνι χώρᾳ*, robur non amplius in regione inest. In quanam? In ea, ubi illa regnat medulla. Quod de loco dictum putant *χώρᾳ*: haec confusio vocabulorum *χώρα* et *χῶρος* non est orationis tragicorum. Et in omnibus, quos afferunt (Arist. Plut. 367. Equ. 1354. Xenoph. Oec. III, 3. Theocr. XV, 57. In loco Callimachi Del. 791. *χώρα* est solum), locis *ἐνι χώρᾳ* significat locum iustum iniusto oppositum. Quinam vero est roboris bellici locus iniustus? — *ἄρης*. Cf. Suppl. 749. Soph. El. 1243. Eur. Phoen. 134. (*ἄρη δ' Αἰτωλὸν ἐν στέρνοις ἔχει*). BL.

V. 79. *ὑπέργηρως* sine articulo positum, ut *ὅταν ἡδὺς τοῖς λόγοις πείθῃ τὸ πλῆθος* Eur. Or. 907. et participia Ag. 69. Soph. Ai. 154. Ant. 365.

V. 80. *βάκτρου τριτοβάμονος* Eur. Tro. 275.

V. 82. *ὄναρ*] Cf. Prom 448, 549. BL. — *ἡμερόφαντον*, quia pallidae interdiu apparent imagines nocturnae.

V. 83 — 91. Quid est, quod novi comperireris, regina, ut in omnium deorum, tum urbicorum, tum coelestium, tum forensium aris sacra facias? — Quum diserte nunc alloquatur chorus reginam, probabile est eam esse egressam ex aedibus et parare sacra diis, quorum imagines positae sunt in scena, cum ancillis comitantibus.

V. 87. *περίπεμπτα θυοσκινεῖς*] sacrificando excitas quae huc illuc misisti; sacra ex iis instituis.

V. 88 sqq. Triplicem Aeschylus exhibet deorum ordinem, urbicos, coelestes, forenses, quemvis ordinem articulo *τῶν*, *τῶν τε*, *τῶν τε* designans. Urbicos tum superos dicit, tum inferos. Urbici potius regis et civitatis, forenses vero plebis et negotiorum gratia adorantur: hi fere iidem, qui *θεοὶ ἀγώνιοι*; illi in arce culti, parum diversi a domesticis et familiaribus diis, *γενεθλίοις*, *ἐγγενέσιν*, *γενέταις*: qui tum superi, tum inferi dicuntur, quia duplex haec cuiusvis civitatis ratio cum utrisque numinibus vertitur in genere regio. Reges a Iove supero sunt oriundi et post mortem Iovis inferi comites (*πρόπολοι* Ch. 358.): quin originem etiam repetunt ab inferis, quum in his sit Tellus, et princeps fere unius cuiusque regiae stirpis proavus a Tellure sit editus, cuius e filia vel nepti sobolem genuit vel Iupiter vel Apollo vel aliquis deus

superus. Ab utrisque his numinibus, tum urbicis tum forensibus, differunt coelestia, ea potissimum numina, quae imbribus, sole, luce omnibusque rebus, quae in coelo sunt, terram fecundant. Hanc cogitationem cum mentione coeli in mente poetae nostri coniunctam esse patet e Danaid. fr. 36. Ag. 7. Prom. 457. Itaque haec adoratio deorum, qui civitatem, agros, negotia tueantur, est eadem quae Th. 271.: *πολισσούχοις θεοῖς, πεδιονόμοις τε κἀγορᾶς ἐπισκόποις.*

V. 92 — 96. [Quid est, quod] alia aliunde fax tollitur uncta mollibus sancti olei fomentis innoxiis, pulte deprompta e cella regia.

V. 93. *λαμπάς*] Facium usus in pompis et sacrificiis satis notus. Cf. Eum. 1022, 1042. fr. 397.

V. 95. *παρηγορία*, quidquid mulcet, delinit, commode dictum de oleo, quod res vel durissimas, e quibus fax componenda est, molles reddit et habiles. Quod innoxium dicitur, quia sancto usui haec omnia destinantur. Plerumque enim mala Graecis apparebat quaevis suadela, quippe qua turbetur et vinciatur libera voluntas et prudens ratio mentis. Cf. v. 357. Suppl. 1040.

V. 96. *πέλανος* puls, tum cocta, itaque de placenta, tum liquida, ut hoc loco de oleo, Eum. 265. de cruore (eodem sensu, quo *θρόμβοι φόνου* ib. 184.) et Choeph. 92. de libatione mortuis dicata, composita ex melle, vino, aqua et farre (Od. XI, 519.).

V. 97 — 103. Harum rerum causas ex te quaero, quantum fas est, ut curae meae medearis, quae nunc me vexat, nunc a spe superatur, quae laeta de his sacris fines imponit anxietati.

V. 98. *αἰνεῖν* hoc loco nihil nisi dicere, ut v. 1403. Ch. 192. Soph. Phil. 1366, 1384. *αἶνος* Ag. 1404.

V. 99. *παίων* diserte deum respicit. Tam fausta mihi appareas, quam ipse Apollo. Cf. Ch. 34. — *παίων τε γενοῦ* praemisso participio, ut Ch. 864, 557. WELL.

V. 100. *κακόφρων*] inimica, animo adversans, animum laedens. *εὔφρων*, animo carus.

V. 101 sqq. Iunge: *τοτὲ δ' ἐκ θυσιῶν ἀγανὰ ἐλπὶς ἀμύνει τὴν θυμόβορον φρένα φαίνειν φροντίδ' ἄπληστον λύπης* (modo inimica surgit cura), modo de sacrificiis laeta (laeta, quod sacrificia vidit, quae fausta portendere probabile est) spes (reddita, mutata in spem laetam) cohibet mentem exercitam ab

ostendenda insatiabili doloris anxietate. Quarum sententiarum priores (modo — exercitam) exhibitae sunt in priore cuiusvis versus parte, posteriores (*φαίνειν* — *λύπης*) in posteriore. Omnem curam chorus abiicere nequit, sed cohibetur haec anxietas spe laeta, ut non perpetua maneat et insatiabilis. — *θυμόβορος φρὴν* dictum ut *θυμαλγὴς καρδία* v. 956. Passive dicitur etiam *θυμοφθορῶ* Soph. Tr. 141.

V. 104 — 146. Atridarum res, quum narraretur expeditio, portendit omen aquilarum, quae leporem gravidum lacerabant. Aquilarum prodigio excidium Troiae, leporibus odium Dianae designabatur, quae ne sacrificium domui funestum postularet, Calchas verebatur.

V. 104 — 116. Potis sum enarrare, quodnam itineris auxilium fatale numinum iussu viris nostris contigerit: — adhuc enim divinitus inspirat suasio cantum, robur aetas congruens: — ut Atridas cum Graecis Troiam miserint duae aquilae, regibus a dextra apparentes, vescentes lepore fetu gravido. — *κύριος* qui rem quampiam ut sibi peculiarem possidet, v. 161, 810. Suppl. 965. Itaque hoc loco de certitudine rei, quam profitetur. — *δύνατός εἰμι εἰπεῖν τὸ συμβὰν αὐτοῖς σημεῖον ἐξιοῦσιν.* Sch. — *ὅδιον κράτος* res, quae profecturos fiducia instruxit; omen, quod faustum iter portendit. Ita *ὄρνιθες ὅδιοι* v. 144. Minime, ut Schol. et Blomf., *τὸ ἐν τῇ ὁδῷ ὀφθέν*: nondum enim factum erat itineris exordium. Quod in itinere occurrit est *ἐνόδιος* Pr. 487. — *κράτος* minime imperium (ut Well. Ind. I. p. 319.), sed robur vel potentia, quae deorum favore tribuitur, idem quod postea *ἀλκά*. — *αἴσιον* ubique de fausto omine a diis misso. Hom. Il. XXIV, 374. Pind. Pyth. IV, 23, 198.

V. 105. *αἴσιον ἐκ τελέων*] quod a numinibus prospere portentum est. *τέλη* saepissime de diis, qui rerum humanarum quasi magistratum gerant: *τελέων τελειότατον κράτος Ζεύς* Suppl. 526. Cf. Pers. 204. Suppl. 123. Ne quis dubitet, quaenam sint haec *τέλεα*, prohibitum est voce *αἴσιον*, quae semper deorum fata et instituta respicit.

V. 105 — 107. Inserta est haec sententia inter duas principales totius ordinis, *ὅπως* enim pendet a *θροεῖν*. Similis sententiarum ratio est v. 907 — 917., ubi inserti v. 911 — 914. —

Exhibetur in versibus nostris ratio, unde hanc certitudinem repetat chorus: ἔτι γὰρ respicit notionem κύριός εἰμι θροεῖν.

V. 106. πειθώ] quidquid quempiam ad agendum permovet, nunc res, nunc verba. Ita Soph. Trach. 661. τᾶς πειθοῦς παγχρίστῳ προφάσει de artificio Deianirae. Ita Ag. 357. de ipsa voluntate, ipso studio, quod ad agendum incitat. Itaque hac suasione ipsum declaratur deorum omen, quod nunc per cantum (μολπὰν) chorus enuntiaturus est. Suasio divinitus cantum inspirat nihil est nisi: divinitus ad canendum suscitor.

V. 107. ἀλκὰ saepissime de robore, quod deorum praesidio homini contingit. Theb. 76, 215. Eum. 258. Suppl. 351, 731, 832. — σύμφυτος αἰὼν id tempus, quo Troiae excidium instare omen declaraverat; σύμφυτος, cognatus, congenitus, quod una cum altero nascitur et crescit, optime dictum de iusto tempore eo, quod omen constituit, cuius temporis memoria cum memoria ominis nascitur et permanet usque dum, usque dum maturatum ad id fastigium ductum est, quo ratum fit omen. Cf. v. 140. Pind. Isthm. III, 17. Parum differt ab hoc nostro μύρσιμος αἰὼν Suppl. 47. Iustum illud tempus memoratur v. 121. (χρόνῳ) a Calchante, lyrica brevitate designatum. Calchanti enim dicendum erat de ipsa eversione, non de eversionis tempore, quod qui scire cupidus erat, ei quaerere licebat. Diserte dictum est v. 40. Robore destituti erant senes ipsi, qui soli Argivam regionem custodiebant; omnis iuventus bello profecta erat: omne igitur civitatis robur periculum subibat. Deorum vero augurio promissum erat certo quodam tempore superius evasurum esse hoc robur. Hoc tempus quum aderat, iure dici poterat ferre robur Argivis et imprimis choro, qui eorum vices tenet. Tota igitur sententia haec est: dii me ad canendum suscitaverunt iustique temporis adventu fiduciam suppeditant. Ea res, quae cantu profertur, quae iustum tempus designavit, exhibetur sequentibus versibus, qui apte ab ὅπως incipiunt.

V. 108. Ἑλλάδος cett.] Graeciae iuventutem concordem principum. Designantur principes (ταγαὶ) Graeciae, qui cum Atridis proficiscuntur, idem quod illi agentes. Quorum mentio ἀσυνδέτως addita, quia in iis ipsis sunt Atridae. Si legendum ταγᾷ, hoc de Atridis dictum. σύμφρων τινὶ Plat. Epist. 7. — Recte ἦβαν

de ducibus interpretatur Schol. Arist. Ran. 1311: *αὐτὸν δὲ καὶ τὸν Μενέλαον*. Sed causa non est, cur excludantur reliqui principes.

V. 110. *πράκτορι*] *τῷ δίκην εἰσπραξομένῳ*. Schol.

V. 111. *ἐξόπιν* cett.] *ὁ ἐξοπίσω λευκός. ὅ ἐστιν ὁ πύγαργος*. Schol. Cf. Aristot. Hist. Anim. IX, 22, 1. BOTH. — Effeminatam Menelai indolem hac aquila designari equidem non credo, nihil de hac re Aeschylus. Statuit modo aliquam diversitatem.

V. 112. *δορυπάλτου*] a parte dextera, id quod diserte dictum v. 135., *an der Schwertseite*. B. Oppositum est *παρ' ἀσπίδος* Theb. 674. — *ἕκταρ μελάθρων*, citata a Thoma Magistro *ἕκταρ*: prope aedes Agamemnonis: itaque non in ipso tecto.

V. 113. *ἕδρα* de loco, ubi aves in aëre conspiciuntur, ut Eur. Herc. fur. 596. Apparent ubi ab omnibus adspiciuntur. Nihil in hoc versu de domo Atridarum.

V. 114. *ἐρικύματα φέρματι* appositio inserta. Subintelligendum *βοσκήματα* vel *χρήματα*. *ἐρικύματος* formatum ut *πολυκύματος* et similia. *κῦμα* gravidatio Ch. 128. Eum. 659. Ad hoc *ἐρικύματα* bene refertur *βλαβέντα*. Quod scripto *ἐρικύμονα* structuram *κατὰ τὸ σημαινόμενον* hoc loco reperisse sibi videntur interpretes, id aperte falsum; sensu enim requiritur femininum, non masculinum.

V. 116. *τὸ δ' εὖ νικάτω*] Cf. v. 196, 230, 324, 632. Aptus sane huic loco hic versus, tum quia in omine, quanquam dextro, inest aliquid, quod minetur, quoniam gravidus est lepus, tum quia iam de vaticinio, quod nunc prolaturus est, cogitat chorus. Aeque aptus est v. 129., ubi irae divinae mentio facta, aptissimus v. 146., ubi mala, quae domui minantur, sunt exhibita.

V. 117 — 129. Calchas, qui his aquilis Atridas designari intellexit, Troiam hac expeditione iusto tempore eversum iri praedixit, veritus simul, ne exercitum perturbaret ira divina, invidia Dianae, quae Atridis pariter infensa esset atque aquilis, quorum epulas odio haberet.

V. 117. *ἰδὼν* cett.] quum viderit duos Atridas dissentientes sententiis. Cf. Herm. ad Soph. Electr. 635. WELL. Pariter ac

diversus erat aquilarum color. Intelligendum est Menelaum summo studio paravisse expeditionem, tardiorem fuisse Agamemnonem.

V. 119. Agnovit aquilas et duces: agnovit utrosque hos esse idem, alteros alteris designari. Saepe a tragicis duae eiusdem notionis partes iunguntur particula τε. Ita explicandus est eius usus in appositione, velut *Μοῦσαι θεαί τ' ἀοιδοι* Suppl. 695. Cf. Ag. 194.

V. 120. *τεράζων*] *τὰ τέρατα διηγούμενος.* Sch.

V. 121. *χρόνῳ*] iusto tempore, ut v. 424, 739 cett., quod diserte dictum Suppl. 732: *χρόνῳ κυρίῳ τ' ἐν ἡμέρᾳ.* — *ἀγρεῖ*, praes. pro fut., ut Pr. 171, 513, 525. Soph. Oed. Col. 785. WELL. Ch. 543. Cf. Pr. 25, 925, alia. *ἀγρεῖ, ἀγρεύσει, πορθήσει* gl. Farn.

V. 123. *πρόσθε* ad *πύργων* referendum, ut *πρόσθε πυλᾶν* Th. 525. Cf. Pers. 447. Si ad *δημιοπληθῆ*, vix articulum post *πρόσθε* posuisset poeta, sed ut Ch. 843.: *φόνῳ τῷ πρόσθεν ἑλκαίνοντι.* Suppl. 52.: *τῶν πρόσθε πόνων.* Suppl. 1017. — Bona ex urbe, e moeniis erepta in castra ad naves portantur. — *κτήνη, χρήματα.* Hesych. Alibi nihil nisi pecudes. BL. — *ἁλαπάξει* forma Homerica, qua in hac descriptione consulto utitur Aeschylus. WELL. Quod Eustathius Il. I. p. 65, 28.: *παρὰ γοῦν τῷ Αἰσχύλῳ εὕρηται τὸ ῥῆμα χωρὶς τοῦ α*: id de Th. 47, 531. dictum. — *μοῖρα*, partitio, distributio, sortitio. — *πρὸς τὸ βλαισόν, βιαίως*, sicut *πρὸς τὸ κάρτερον* Prom. 212. BL.

V. 124. *ἄγα* idem quod *ζήλωσις*, invidia. Hesych. *ἄγαισι, ζηλώσεσι Αἰσχ. Θρῄσσαις.* — *κνεφάζειν* obscurare, id est malis afficere. *κνέφας* malum, quo affligitur et frangitur aliquis. Eum. 379. Cf. Ch. 52. Ag. 421. — *προτυπὲν στόμιον*, procusum frenum. *προτύπτειν* est vel protrudere vel intransitivo sensu protrudi usque ad finem aliquem. Ita de Troianis, qui usque ad aciem Graecorum procurrunt ibique retinentur: id quod similitudine saxi de monte in planitiem, ubi non amplius volvitur, demissi declaratum est Il. XIII, 136.; de vi lacrimarum, quae naribus sentitur, Od. XXIV, 319. Nihil de erumpendo vel irrumpendo, neque hoc concinit cum imagine freni. Ita Agamemno dicitur Troiae *περιβαλὼν ζευκτήριον* v. 487.; mens *παρέχουσα στόμιον* Soph. Trach. 1263. *στόμιον στρατωθὲν* exercitus, qui freni instar est.

V. 125. *ἐπίφθονος*] *φθόνος* est quivis sensus, quo quis rem quampiam alii contigisse vel ab alio gestam esse aegre fert, sive iustus, si ille, cui res contigit, iustos fines transgressus est, ut ea potiretur, sive iniustus, si optimo iure ex ipsa rationis lege ei evenerat.

V. 126. *πτανοῖσιν κυσί*] appositum voci *οἴκῳ*. Domus constat ex Atridis: Atridae aquilis significantur: si Atridis irata est Diana, est etiam aquilis; si his, illis. Aquilarum Iovis similitudine Atridas constanter designat Aeschylus. Cf. Ch. 247, 268. — Iovis canes dicuntur aquilae Prom. 1022., et grypes, compositi ex aquilis et leonibus, Prom. 803. Nullo modo dativus causae haberi potest *πτ. κυσί*: si ob solum aquilarum facinus Atridas odio habuit Diana, id prorsus ineptum est.

V. 127. *αὐτότοκον*] cum ipso fetu cf. v. 494. — Similis religio Xenoph. de venat. 5, 14. Arrian. de ven. 22 et 23. Minores ferarum catulos missos faciunt venatores, Dianam reverentes. *πτάξ, πτακίς, πτώξ, δειλός*. Hesych. Ut *πλάξ* a *πλήσσω*, *ῥάξ* a *ῥήσσω*. BL. *πρὸ λόχου*. Cf. Suppl. 677.: *γυναικῶν λόχοις*. — Quaesiverunt multa interpretes, quanam re Dianae iram contraxerint Atridae, et sunt qui obscurius de hac re dixisse Aeschylum contendant. Mihi omnia et perspicua videntur et plana. Eodem modo, quo aquilis, Atridis succenset Diana: neque ullam video rationem, cur alia huius atque illius irae causa sit existimanda. Cervam Dianae sacram ab Agamemnone occisam esse omnes uno ore referunt fabulae: cur vero sacra fuerit, de eo dissentitur. Sacram fuisse, quia in nemore sancto habitaverit, narrat Sophocles (Electr. 567.): sacram, quoniam praeguans fuerit omnesque ferarum catulos dea amarat, Aeschylus. Noverat hoc facinus Calchas: itaque quum in itinere parato leporem gravidum devorantes apparerent aquilae, intellexit has aquilas, quoniam a dextra parte conspicuae essent, portendere victoriam; quoniam vero odiosis Dianae epulis vescerentur, haud oblitos esse deos impietatis illius Agamemnonis eamque ulturos calamitate domestica, postulaturos sacrificium, quo discordiam internam denuo suscitaturi essent. Propterea addit non leporibus solum (lepore vescuntur aquilae, quia cervis potiri nequeunt), sed omnibus feris favere deam. Animal sacrum, quod religione tractandum erat, quod Dianae

tutela gaudebat, ex hac tutela eripuit Agamemno: cui sceleri aequalis est poena, si ex eius tutela filiam dea eripit eamque immolari iubet, si id, quod agunt, efficere cupiunt Atridae. Id vero, quod iam non desistit Agamemno ab illa expeditione, quod filia mactata cruore maculatur domestico, novum est scelus, nova impietas, et maior illa, quam severior sequitur calamitas, odium, quod contra maritum suscipit Clytaemnestra. Hanc impietatem in posteriore carminis parte chorus exhibet, quia in illa versantur omnia, quae hac tragoedia continentur: priorem illam impietatem, qua Dianam offendit, brevius indicat, quia haec iam parum ad rem: sed tamen satis perspicue.

V. 130 — 146. Quum enim omnibus ferarum bestiarumque campestrium catulis faveat Diana, nunc probabile est eam esse effecturam quae indicat illud augurium, dextrum quidem, sed non omnino faustum. Metuendum est, ne ventis missis adversis exigat sacrificium, quod rixas excitaturum sit. Manet enim in aedibus memoria vetustae discordiae, quae denuo surgere potest. Haec infausta iuncta cum fausto omine Atridarum domui Calchas designavit.

V. 130. *καλά*] Diana *ἀρίστη καὶ καλλίστη* Athenis et inter Arcades culta; in poetis primo a Pampho hoc nomine appellata. Paus. I, 29, 2., VIII, 35, 8.

V. 131. *δρόσοι* catuli modo nati, quorum curam gerit Diana, et quia venatrix et quia Lucina est. Recte schol. v. 127: *λοχεία γὰρ ἡ θεός.*

V. 132. *ἄγρονόμος* activo sensu, ut Od. VI, 106. Passivo Soph. Oed. Tyr. 1103. Ant. 786. Cf. v. 142. — *φιλόμαστος.* Cf. v. 667. BL.

V. 133. *ὀβρίκαλον Αἰσχύλος ἐν Ἀγαμ. καὶ Δικτυουλκοῖς* Aelian. Hist. Anim. XII, 47. *Ὄβρια καὶ ὀβρίκαλα, τὰ τῶν λεόντων καὶ λύκων σκύμνα, Αἰσχ. Δικτυουλκοῖς* Phot. Idem Eust. Od. IX. p. 1625, 47: *ὀβρίκαλα, ὧν χρῆσις καὶ παρ᾽ Αἰ. ἐν Ἀγ.* BL.

V. 134. *τούτων* cett.] horum postulat ut omina rata faciat. — *αἰτεῖ.* Prodigia non a Diana mittuntur, sed a Iove: itaque si quid illa in iis perficiendis vel adornandis mutari cupit, poscendum hoc est a Iove. Ita in oraculo (Herod. VII, 141.) Minerva frustra Iovem precatur, ut Athenas a Persis servet.

Eadem ratione postea dictum ἐξιητήσατο θεός τις, v. 620. Cf. Il. XXII, 221. — ξύμβολον, res, e qua coniicitur esse aliquid, vel quod futurum, vel quod absens, vel quod occultum est. Cf. v. 8, 290. Soph. Phil. 403., Oed. Tyr. 221. — ξύμβολα κρᾶναι, facere, ut eveniat res, quae signo illo indicata est. — τοὔνομ' — ξύμβολα, Diana perficere, rata reddere cupit omina horum, omina in quibus hi ipsi partes agebant. — Trucidavit Agamemno leporem fetu gravidum: hoc factum habetur scelus, scelere hoc Diana est offensa: Iupiter aquilarum, quae lepore praegnante vescebantur, prodigio portendit manere poenam huius sceleris Atridas, licet ceteroqui bona fortuna usuros. Hoc, quod portendit Iupiter, ut ratum fiat, iam operam dat Diana.

V. 135. δεξιὰ διὰ τὴν νίκην, κατάμομφα δὲ διὰ τὸν χόλον Ἀρτέμιδος. Sch. — κατάμομφα. Eodem sensu κατάμεμπτον (Soph. Oed. Col. 1234, 1696.) et ἐπίμομφον (Ag. 511.) de eo, quod non integrum, non ab omni improbatione liberum est.

V. 136. καλεῖν usitatum de invocandis diis, de canendo non usitatum. Itaque Παιᾶνα de Apolline dictum, non de hymno paeane. ἰήϊος Παιὰν idem quod Ἰηπαιήων Hymn. Apoll. Pyth. 94. Reliquis Aeschyli locis παιὰν ubique de hymno, excepto Philoct. fr. 227. De vocabulo ἰήϊος cf. Blomf. h. l. Soph. Oed. Tyr. 154, 1096. — De Ionismo καλέω v. 105. not. crit. — Diphthongus αι in Παιᾶνα correpta, cf. v. 177.

V. 137. ἀντιπνόους ἀπλοίας] Cohibebantur enim ventis adversis (v. 173.): minime eo, quod venti deficiebant. ἄπλοια v. 170.

V. 139. ἕτερος infaustus, ut Pind. Pyth. III, 34. — σπευδομένα dictum ut Eum. 360. Rarum esse medii generis in hac voce usum monet Blomf. — Impietatem immolationis Iphigeniae diserte designat chorus v. 197 sqq.

V. 140. σύμφυτον] cf. v. 107. Sacrificii, quod rixas procreat, memoria et auctoritas permanet per ipsas rixas, crescit et augetur cum iis.

V. 141. δεισήνωρ religiosus. Nulla est ultimae in hoc composito partis vis. Cogitatio, qua δεισηνορίαν commendat poeta, ea est, quam profitetur Eum. 517 sqq. et 696 sqq. Quod Wellauerus σύμφυτα et δεισήνορα de iurgiis inter cognatos virum non

respectivus interpretum, inquam per tautologiam et διάνοιαν. Ἐπιεικὴς autem semper quidem bonus, sed non semper ad unguem vere bonus et virtuosus, — modificatio ista, quae in priore genuina lectione respectum habet ad τὸ ἐπιεικὲς, ad Aristotelis Aggressionem et Augustini.

c. 31 (32), 1188 a 31 ἀφ' ἑαυτοῦ δὲ οὐκ ἔστιν ἐκουσίως. Ibid. 1188 b 1 ἀφ' ἑαυτοῦ δὲ οὐκ ἔστιν ἐκουσίως. Ἐκουσίως, inquam, ἀφ' ἑαυτοῦ non est, quia ἀφ' ἑαυτοῦ ἐστὶν ἀρχὴ ἐν τοῖς εἰδόσι τὰ καθ' ἕκαστα, ἐν οἷς καὶ ἡ αἴσθησις τελευτᾷ, ut ait Aristoteles, ad quem respondet Augustinus, non adhibetur, ait, quibus docendus sum. Ignorantia autem, quae ἀκουσίου causa est, non est ignoratio quaenam pars in una materia (ut c. 8 [9], 1151 a 15 sqq.) sit ἐπιεικὲς, sed ignoratio ipsius materiae, quae materia continetur in particularibus circumstantiis. Primum intimandi modum Aristoteles ponit in ἄγνοια τοῦ καθ' ἕκαστον, ut dixi, Eth. Nic. 3 (5), 1110 b sqq. Hanc regulae pro illo circumstantiae in hoc particulari applicationem ignorantiam Aristoteles ἀκουσίου causam facit, quae ἄγνοια in Eudemiis Ethicis (Eth. Eud. 2, 9, 1225 a 13 sqq.) non tam ad ipsum actum pertinet, quam ad ea, quae circumstant actum, ut ait Aristoteles (1225 a 15), sed ἄγνοια τοῦ καθ' ἕκαστον, ubi ἀκούσιον fit, quando ignorat quis, ut ebrius aut iratus, quae ἄγνοια ἀκουσίου causa est, ut ait Aristoteles (1225 a 16),

potest comparari, neque qui antea neque qui postea exstitit. Itaque Iupiter victor omnium supremus est celebrandus, qui dolore mortales sapientiam docet. — Quum in iis, quae praecedunt, multa fuerint, quae naeniam doceant, tamen non ipsa naenia est canenda, quia adest spes superiorem evasuram esse salutem. Quia vero mala illa efficienda curat Diana, numine aliquo eget chorus, cuius auxilio contra illam sustineatur. Paeanem invocavit Calchas, cum Calchante chorus consentit: Paean est Apollinis cognomen. Atqui Apollinis Paeanis munus certis quibusdam finibus circumscriptum est, neque novit chorus, num ad eum omnino huius periculi defensio pertineat. In hac dubitatione, in hoc desiderio inveniendi numinis, quod saluti Atridarum certam conciliare possit victoriam, ad Iovem chorus se convertit: pro naenia carmine victorias praedicante eum celebrans: ad Iovem, qui omnia omnium deorum munera in sese coniungit (Theolog. Aesch. §. 14.), cuius manus pariter atque Apollinis dicitur *παιωνία* (Suppl. 1067.): quo nihil est superius, qui omnia vincit, qui optimus est *σωτήρ*, *παυσίλυπος*, *νικηφόρος*. Quae victrix Iovis potentia ostenditur in eius ratione cum iis, qui nunc, qui antea, qui postea exsistunt (150 — 156.): ostenditur deinde sapienter agere hominem, qui hanc potentiam celebret, quia ita ea deus summus utatur, ut dolore ad prudentiam homines perducat (157 — 161.). Malorum enim memoria cogi mortales vel invitos ad modestiam et sapientiam: id quod deorum contingat gratia, qui invicto omnia gubernent imperio (162 — 165.).

V. 147 — 149. Iupiter, quisquis est: ita invocari si ei acceptum est, hoc nomine eum alloquor.

V. 147. *Ζεὺς* praemissum, neque arto vinculo iunctum cum structura totius sententiae, quia de hoc ipso vocabulo magis quam de re dicitur in ea sententia. — *ὅστις ποτ' ἐστὶν* coll. Explicantur haec loco Servii (Virg. Aen. IV, 577.): Sequimur te, sancte deorum, quisquis es: pontificum more, qui sic precantur: Iupiter omnipotens, vel quo alio nomine appellari volueris; et Platonis (Cratyl. 38.): Nihil novimus de diis, ne nomina quidem, quibus sese invicem appellant: illi enim veris haud dubie utuntur vocabulis: *δεύτερος δ' αὖ τρόπος ὀρθότητος, ὥςπερ ἐν ταῖς εὐχαῖς νόμος ἐστὶν ἡμῖν εὔχεσθαι· „οἵτινές τε ὁπόθεν χαίρουσιν ὀνομαζό-*

μενοι" ταῦτα καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς καλεῖν, ὡς ἄλλο μηδὲν εἰδότας. Cf. ib. c. 39. Phaedr. p. 337. Spanhem. Callim. Hymn. Dian. 7. — Ea enim est cura tum omnino omnium qui precantur, ut vocabulo dei cuiusque in omni occasione id addant cognomen, quod ei acceptissimum sit, cuius ἐπώνυμος fieri libentissime velit (ut Theb. 8.: Ζεὺς ἀλεξητήριος ἐπώνυμος γένοιτο Καδμείων πόλει.): tum hoc loco chori, minime dubii de ipsa Iovis natura, quae in iis, quae sequuntur, disertissime exhibetur. Est vero cavendum, ne ita Iovem invocet, ut religio Dianae, quae suo prospicit iuri, quae iustam contra Atridas suscepit iram, debita laedatur. Praeterea omnino nescit chorus, qua ratione liberari possint Atridae a crimine sparsi cruoris domestici — id quod solus scire poterat Iupiter —; omnino nescit, quodnam iis instet periculum. Itaque omnino nullo utitur cognomine, ne quid inepti profiteatur, solo eo nomine eum appellat, quod eius proprium, quod omnium sanctissimum est, quo eum gaudere et gloriari consentaneum est. Haec religio si Iovi placebit, sperandum est choro fore, ut etiam erga Atridas ita agat, ut res humanas gubernare solet, neque acerbius eos castiget, quam ut iis quae ab eo infliguntur malis modestiam et sapientiam doceantur.

V. 149. τοῦτό νιν προσεννέπω] hoc eum alloquor, ut Ch. 224.: ταῦτ' ἐγὼ σὲ προσεννέπω, his te alloquor.

V. 150 — 156. Cum Iove nihil quod comparari possit reperio, si id ago, ut curis me omnino liberem; neque qui antea potens erat, nunc quidquam obiicere potest: neque qui postea exstitit, Iovem aequavit.

V. 150. προσεικάζειν comparare, sola hac significatione Aeschylo usitatum. Vide v. 1056. Theb. 431. Ch. 12. Cf. Ch. 518, 633. Eum. 49. Coniectari, coniectando assequi est vel εἰκάζειν vel ἐπεικάζειν, vel ἐξεικάζειν. εἰκάζειν comparandi sensu sine dativo rei comparatae, prorsus ut hoc loco, Ch. 518. Intelligitur dativus *Ζηνί*. Excepto Iove nihil habeo quod Iovi comparem. — πάντ' ἐπισταθμώμενος, omnia perpendens, vel fortasse: quemvis perpendens. Dictum hoc est, quocunque modo πάντα explicueris, de reliquis diis, a quibus auxilium in his curis exspectari possit, quorum nemini integra spe potest confidi, quia omnes Iovi sunt subiecti. Prom. 50. Theolog. p. 71, 73.

V. 151. *εἰ τὸ* cett.] Si revera mihi id agendum est, ut ab his curis, quae me vexant de fortuna regum, me liberem. *τὸ μάταν ἄχθος*, onus inane, dictum de metu, ut qui nihil fructus habeat. Simili ratione *πήματα μάταν ἰκνούμενα* Soph. Oed. Col. 1565.

V. 153 — 158. Neque qui ante Iovis ortum magnus erat, nunc quidquam habet potentiae, neque qui post eum exstitit, eum aequare potest, sed vincitur ab eo. Itaque neminem recte victorem praedicaveris, nisi Iovem: hunc vero summo iure.

V. 155. Nihil amplius dicat, quum de eo actum sit. — *οὐδὲν λέγειν* nulla frui auctoritate, quia tantum valet aliquis, quantum eius dicta. — *πρὶν ὤν*, qui fuit, de quo actum est. Notio *ὅστις πάροιθεν ἦν μέγας* denuo in altera sententiae parte exhibetur, id quod minime offendet, si comparaveris locum Sophoclis Oed. Tyr. 1282: *ὁ πρὶν παλαιὸς δ' ὄλβος ἦν πάροιθε μὲν ὄλβος δικαίως.* — *λέξαι.* De hac optativi forma cf. Erfurdt. Soph. Ant. 410. Ita *ἁρπαλίσαι* Eum. 983.

V. 156. *τριακτῆρος*] *νικητοῦ* Schol. Cf. Blomf. — Typhonem hoc versu designatum volunt: et designatur sane, sed ea tantum ratione, quod omnium, qui contra Iovem rebellaverunt, unus Typhon habetur terribilissimus. Theb. 510 — 525. Prom. 351 — 372.

V. 159 — 163. [Qui Iovis celebrat victorias, is sapientissime agit, tum ob summam Iovis potentiam, tum ob rationem, qua hac potentia utitur erga mortales:] docet enim eos sapere, dolore documentum iis peculiare suppeditans: quia enim neque interdiu neque noctu doloris memoria eos relinquit, vel inviti hi cohibentur modestia. Quam divinus praebet favor; neque vero ad hanc modestiam mortales compellere possent dii, nisi invicta potentia usi.

V. 159. *δδοῦν* de docendo Prom. 498. BL.

V. 160. *πάθει μάθος.* Proverbium *παθήματα μαθήματα.* Cf. v. 126. BL. Vide Soph. Ant. fin.

V. 161. *δδώσαντα — θέντα.* Alterum participium ab altero pendens, ut v. 168, 339, 554.

V. 162. *στάζει πρὸ καρδίας πόνος*] Memoria cruciatus etiam dormientem turbat, incitans sanguinem, ut celerius volvatur.

V. 163. Infinitivus σωφρονεῖν sine articulo, ut Pers. 829. Plura BL.

V. 165. βιαίως] De imperio deorum vi condito et servato multa habet Aeschylus: Prom. 151, 165, 404; Suppl. 1068. Sanctam et sublimem sedem vide Suppl. 100, 587. ὑψίζυγος γὰρ ὁ Ζεύς, Sch. ex Homero. Soph. Ai. 244.

V. 166—232. Rata fiebat vaticinatio Calchantis: Aulide classis Graeca cohibebatur. Dubitavit Agamemno, utrum classis dimissae crimen subiret, an mactaret filiam, quam postulavit Diana. Insania perturbatus tandem scelestam constituit immolationem filiae: cuius preces spernebantur, quae ore occluso ad aram deducebatur. Num ea quoque evenerint, quae hoc facinus exceptura esse praedixit Calchas, equidem non vidi: utinam bonus contingat eventus. — Invocato Iove et indicata ratione, qua sola concipi possit nova spes, ea quidem, quod non perdendis iis, quibus mala mittat, sed docendis gaudeat Iupiter, et ita Atridis quoque post mala multa laetior sperandus sit eventus, iam revertitur chorus ad narrandas res Agamemnonis, eas nunc exhibiturus, quibus ea rata sunt facta, quae praedixerat Calchas.

V. 166—177. Nec sane refutabant vatem casus Agamemnonis, tum, quum Aulide classis cohiberetur: venti enim boreales eam retinebant et conterebant, ut longo temporis spatio perdito corrumperetur flos Argivorum.

V. 166. πρέσβυς] idem quod πρεσβύτερος, Agamemno, v. 185, 488. Qui solus hoc loco designatur, quia solus hic Dianam offendit. — ἡγεμὼν νεῶν, ut v. 112.

V. 168. μάντιν cett.] ψέγειν, ut ἐλέγχειν, non solum est vituperare, sed etiam vituperandum reddere, irritum demonstrare, refutare, redarguere. Ita Soph. Ai. 1130: ψέγειν δαιμόνων νόμους, irritas reddere deorum leges. οὔτινα nihil est nisi fortior negatio, vatem nullum redarguens pro: vatem minime redarguens. τὶς apud Graecos saepius rem antea iam commemoratam spectat: cf. v. 738. Suppl. 59, 902. Soph. Tr. 3. Agamemno cum iis, quae sibi accidunt, rebus ipse tanquam res quaedam consideratur: τὰ πράγματα τοῦ Ἀγαμέμνονος οὐ ψέγει μάντιν, ἀλλὰ συμπνεῖ (αὐτῷ τῷ μάντει) ἐμπαίοις τύχαις (in iis quae Agamemnoni accidunt). Pro illo οὐ — ἀλλὰ dictum: ψέγοντα οὔτινα — συμπνεῖ.

Quum ante invocationem Iovis vaticinium sit narratum, hoc loco nihil exspectare possumus, nisi declarationem, num hoc ratum redditum sit. Quod reliqui omnes locum ita interpretantur: cessisse Agamemnonem fortunae et necessitati, neque vituperavisse vatem, sed obtemperavisse iusso divino: id neque ullo modo huc pertinet, neque verum est; nam postea demum (178) postulatur virginis immolatio, et multo postea consentit rex, diu dubitans (186 sqq.), et mutata (197) tandem voluntate filiam devovens.

V. 169. ἔμπαιος, incidens, accidens Od. XXI, 400: κακῶν ἔμπαιος ἀλήτης, mendicus, qui in mala incidit, malis implicitus est. τύχη ἔμπαιος, casus cuipiam accidens, res cuipiam eveniens. Ita πρόσπαιον, quod praeter aliquam rem, una cum aliqua re cuipiam accidit v. 322. — Participiis verborum finitorum loco utitur poeta, ut quibus rei imaginem nobis ante oculos ducat ibique mansuram collocet, tranquilla contemplatione percipiendam. Cf. v. 264, 889, 515.

V. 170. Vocabulo εὖτε designatur rem alteram evenisse eodem ipso tempore, quo altera, manente hoc tempore. Ut nos nostro wie utimur pro als; cf. v. 12, 389, 523, 916. Pers. 854. — ἀπλοίᾳ v. 138. — κεναγγὴς non de vasibus navium, sed de iis, quibus Graeci in castris prope Aulidem utebantur. Deficiebat vinum. — βαρύνοντο. Collectivum cum plurali vide v. 535. — Augmentum abiectum est, ut in φράσεν v. 209. κλον Theb. 775. BL. περιβάλοντο v. 1071.

V. 171. πέρα terra e regione alicuius sita: Suppl. 262. Prom. 1340. 573. Scylac. Peripl. 13, C., ubi de hac voce dixi p. 279.

V. 172. παλιῤῥόθοις] Euripi reciprocationes (quae apud Strabonem IX, p. 403. septies quotidie fieri narrantur) in proverbium abierant. BL.

V. 173. ἀπὸ Στρυμόνος] Iidem venti v. 1340 Θρῄκια ἀήματα. Cf. v. 612. — δὲ minime contrarii quidquam, sed interpretationem vel continuationem introducit.

V. 174. νήστιδες active, ut v. 306, 1537. Talibus notionibus si integra vis restituitur, e neutris redduntur transitiva.

V. 175. βροτῶν ἄλαι] propterea tam generali sensu dicitur ventus borealis, quod in fabulis vetustis semper fere circa Maleam promontorium borea auferuntur heroes in mare australe vel

occidentale, velut Ulysses et Agamemno. — ἄλαι Od. XV, 341. Eur. Or. 56. Med. 1282, alia. BL.— δύσορμοι βροτῶν ἄλαι, quae mortales semper a portu, quo tendebant, deducunt. — πείσματα, funes, quibus in litore alligantur navium puppes, eaedem quae v. 915. dicuntur πρυμνήσια. Cf. Suppl. 765. Pers. 112. Quae conteruntur, si huc illuc iacit ventus naves haerentes.

V. 176. παλιμμήκης, longitudine duplex.

V. 177. τρίβος idem quod τρίψις, ut v. 362. Quod sunt, qui hac voce viam designatam opinentur, hoc aperte falsum est: nondum enim sunt in via, sed prope Aulidem: venti praelongum tempus attritioni locantes consumebant florem Argivorum.— Ἀργείων. ει correptum, ut v. 929, et ut οι in οἷον v. 1177, Prom. 141; τοιοῦτος Ag. 1274, 1282. αι in Παιάνα v. 136.

V. 178—184. Postea vero huius calamitatis remedium ipsa tempestate acerbius designavit vates, Dianae auctoritatem professus: adeo ut baculis terram pulsantes lacrimas non cohiberent Atridae.

V. 178. ἐπεὶ δέ] postea, pro ἔπειτα, ut v. 197. Ch. 623.

V. 179. χείματος μῆχαρ ut ἐπῳδὸς Θρηκίων ἀημάτων v. παυσάνεμος θυσία v. 193. — μῆχαρ vide Suppl. 394, 594.

V. 181. προφέρειν δῶρα Ἀφροδίτης Il. III, 64: mentionem facere. Cf. v. 896.

V. 182. χθόνα cett.] Baculo, quem in manibus tenent, quo uti solent, terram pulsant Atridae dolentes. Quod minime sumtum ex Il. I, 245 (ut Bl.), ubi sceptrum oratoris iratus abiicit Achilles.

V. 185—196. Dixit vero Agamemno: manet me pernicies tum si non obtemperabo, tum si filiam virginem mactabo manu paterna. Quidnam malorum subeam? An deseram foedus Graecorum? Virginis enim cruorem dea irata postulat sacrificio offerendum, ut placentur venti.

V. 187. ἄγαλμα] cf. v. 885.

V. 190. τί τῶνδ' cett.] τί τῶνδ' εὖ, τί δ' ἄτερ κακῶν; Ch. 348. BL.

V. 191. λιπόναυς] Attica forma est λιπόνεως Gramm. Sangerm. p. 412. Bekker. λιποναύτης Theocr. XIII, 73. BL. Notae

sunt in iure Attico γραφὴ λειποστρατίου, λειποταξίου, ἀναυμαχίας. — πῶς nonnisi quaestionis signum, Latinorum an, ut saepius apud Aeschylum v. 592, 606. Ch. 532. Dolet Agamemno, quod ad classem deserendam coactus sit, neque tamen praeterea quidquam videt, quod eligere possit, quum filiae immolationem dea postulaverit, cui obedire nequit sine gravissimo dolore, quin sine pernicie ea, quae oritur e scelere. Postea demum hoc facinus decernit, neque amplius movetur paterna pietate. — γένωμαι coniunctivus deliberativus vel dubitativus. Cf. v. 717.

V. 193 sqq. Sacrificii enim, quod ventos placet, virgineique cruoris eam ira maxime iratam desiderium fovere fas est. Bene res vertat!

V. 194. παρθενίου θ᾽] Appositionem cum priore cogitatione saepius particula τε iungit Aeschylus. Cf. v. 119, 1442. Suppl. 42: Λῖον πόρτιν ὑπερπόντιον τιμάορ᾽ ἴνίν τε βοὸς omnia de Epapho. ib. 62: Τηρεΐας ἀλόχου κιρκηλάτου τ᾽ ἀηδόνος utrumque de Procne. Et ib. 695: Μοῦσαι θεαί τ᾽ ἀοιδοί.

V. 195. ὀργᾷ περιόργως ut πικρῶς ὑπέρπικρον Prom. 944. BL. Cf. Eum. 161: βαρὺ τὸ περίβαρυ κρύος ἔχειν.

V. 196. θέμις] omne ius, quod dii hominibus observandum imponunt; δίκη id, quod inter homines constitutum, quo suis unusquisque finibus continetur, neque quemquam laedit. θέμις maius quoddam ab homine postulat, non solum ne quem laedat, sed ut sint quos vereatur, parentes, hospites, dii. Haec ratio oraculis et vaticiniis declaratur. Minuerat Agamemno maiestatem Dianae trucidata bestia sacra; ius divinum Calchantis vaticinio enuntiatum exigit mortem filiae. Itaque θέμις de ipso vaticinio dictum. Pind Pyth. IV, 54. Themis vates exhibetur Eum. 2. Prom. 874. Pind. Isthm. VII, 32.

V. 197 — 203. Postea vero subiit necessitatis iugum, mutato animo in impietatem et audaciam superbam: qua mortales implet insania mentis, fons malorum omnium.

V. 197. ἀνάγκη quaevis conditio, qua libertatis fines coercentur. — ἐπεὶ δὲ pro ἔπειτα, ut v. 178.

V. 198. τροπαία sc. αὔρα, πνοή, ventus, qui flatu converso fertur. Aristot. Probl. XXVI, 5. Cf. Theb. 706: λήματος ἐν τροπαίᾳ. BL. τροπαία κακῶν Ch. 775.

V. 199. *τόθεν*] sensu relativo dictum: necessitati obtemperavit abreptus impietate, quae eum audacem fecit.

V. 200. *παντότολμος*] Horatii audax omnia perpeti (Od. I, 3, 25). Quae vox ubique reprehendit. Cf. v. 1158. Ita *πάντολμος* Ch. 430, 597, 671. *ὑπέρτολμος* Ch. 594. Est ea mentis dispositio, qua neminem vereatur, modo suae satisfaciat libidini. — Verbo *μεταγιγνώσκειν* ea res, quam quis mutato consilio accipit vel suscipit, accusativo casu additur. *ἅταν μεταγνούς* Suppl. 110.

V. 201. *θρασύνειν* fiduciam addere, tum bonam, tum malam et importunam. — *βροτοῖς*. Dativus additus, ut designetur notio accidens, quae ad principalem pertinet, sed omitti potest. In mortalibus fiduciam procreat insania. Cf. Bernhardy Synt. p. 93. et v. 780.

V. 203. *πρωτόπημων*] in qua latet doloris principium et fons. Hoc e communi Graecorum opinione dictum, mentis quadam perturbatione et insania homines ad scelus committendum concitari. Ita Aegyptiadarum *ὕβρις* oritur *δυσπαραιβούλοισι φρεσὶν καὶ δίανοιαν μαινόλιν κέντρον* (*ἔχουσα*) *ἄφυκτον*. Suppl. 109.

V. 203—238. Decrevit iam immolationem filiae in gratiam belli pro muliere suscepti; neque preces neque aetatem virginis respiciebant imperatores: patris iussu caprae instar arae imponebatur puella, obstricto ore, ne quid mali domui imprecaretur.

V. 203 sqq. Narravit sacrificium Iphigeniae Lucretius, singula omnia descriptioni Aeschyleae concinna exhibens, vel hunc ipsum secutus vel communem fontem, Cypria, quibus utrum, an ipsius poetae ingenio debeamus aptissimam rerum adornationem epicam, quum apud Aeschylum sit lyrica, non diiudico. Maxime pariter atque Aeschylus impietatem facinoris premit Lucretius. Qui quum inceperit I, 78—80: Aulide quo pacto Triviai virginis aram Iphianassaeo turparunt sanguine foede ductores Danaum delecti prima virorum (*βραβῆς* v. 208), ac deinde rem narraverit, concludit descriptionem his verbis, quibus eadem, quae his nostris versibus, declaratur sententia (I, 90): non ut sollemni more sacrorum perfecto posset claro comitari hymenaeo (*αἰῶνα παρθένειον*); sed casta inceste nubendi tempore in ipso hostia concideret mactatu maesta parentis: exitus ut classi felix faustusque daretur.

V. 204. *θυτὴρ γενέσθαι*] idem, quod *θυσίαν ποιεῖσθαι*. Cogitationi *θυσίαν* apposita sunt *ἀρωγὰν* et *προτέλεια*.

V. 205. *προτέλεια*] sacra, antequam naves solvantur, ut solvi possent, habita. Cf. v. 65.

V. 206. *λιτὰς* cett.] preces et invocationes paterni nominis, quibus patrem implorabat. Ita *λιταῖσι* precibus, quibus ego invocor, Eum. 362. *ῥυτῆρες στάθητ' ὀξυγόοις λιταῖσιν* Theb. 820. *μακάρων λιταὶ* Theb. 214. Cf. Suppl. 174, 270. *γενείου λιτὰς* Eur. Or. 290; *θεῶν εὐχαὶ* Soph. Oed. Tyr. 239. — Etiam *κληδών τινος* res, quae de aliquo dicitur, *λιπὼν κληδόνας* famam relinquens Ch. 1043. *κληδόνας ἐπωνύμους*, nomina, quibus appellantur Eum. 418. Recte igitur scholiasta: *πατρῴους, ἃς ἐποιεῖτο πρὸς τὸν πατέρα*. Neque dissentit Lucretius I, 87: Nec miserae prodesse in tali tempore quibat, quod patrio princeps donarat nomine regem.

V. 207. *αἰῶνα παρθένειον*] Crudeliorem esse necem virginis exhibet etiam Soph. Ant. 813, 917. — *παρ' οὐδὲν τίθεσθαι*, nihili pendere, ut Eur. Iph. Taur. 732. Ita *παρ' οὐδὲν ἀρκεῖσθαι* Eum. 213. Et *παρ' οὐδὲν αἴρειν* omnino privare Eum. 846. Cf. BL. Cum duplici accusativo iungitur haec formula, ut *ἀτιμάζειν τινά τι*, spernere aliquem in aliqua re: Soph. Oed. Tyr. 340. Ant. 544. Aspernantur virginalem vitam in precibus, dum aspernantur preces, quibus virgo vitam defendit.

V. 208. *βραβῆς*] ut Pers. 302. Indicantur Atridae ceterique reges.

V. 209. *φράσεν*] cf. v. 170. — *ἀόζοις*. Hesych. *ἀοζήσω, διακονήσω*, Αἰσχ. *Ἐλευσινίοις*. STANL. — *μετ' εὐχάν*. Post preces factas mactari hostiam vide Il. I, 458 sq. III, 292. Ita apud Euripidem Neoptolemus, postquam patrem adoravit, ministros corripere iubet Polyxenam Hec. 542—545.

V. 211. *περιπετῆ*] circumfusam. *περιπιτνεῖν* circumfundi Th. 834. Ita Lucret. I, 81: cui simul infula virgineos circumdata comtus ex utraque pari malarum parte profusa est.

V. 212. *θυμῷ προνωπῆ*] Lucr. I, 86: muta metu terram genibus submissa petebat. *προνωπής, προνενευκώς*. Sch. Eur. Andr. 730. BL. — *λαβεῖν ἀέρδην*. Lucr. I, 89: nam sublata virum manibus tremebundaque ad aram deducta est. Apud Aeschylum statim super aram tollitur.

V. 213. *καλλίπρωρος* de ore dictum labia spectat, de viro faciem. Theb. 533.— *φυλακὰν* accus. subiecti. *φύλακὴ στόματος κατέχει φθόγγον.* Conferre iubet Blomf. Pers. 591: *γλῶσσα ἐν φυλακαῖς.*

V. 214. *ἀραῖος δόμοις* Eur. Iph. Taur. 778. Med. 608. BL.

V. 215. *ἄναυδον μένος*, vis vocem comprimens. Theb. 893: *ἀναύδατον μένος* de morte. *κημοὶ στόματος* Aeschyl. Lycurg. fr. 117. BL.

V. 216—223. Moribunda omnium miserationem movit, apparens instar picturae, cupiens eos alloqui, quam saepe in coenaculo patris cecinisset et, ut castam decebat virginem, patris fortunam, faustissima quaeque optans, voce celebravisset.

V. 216. Manet aliqua dubitatio, utrum hic locus de morte, an de vestibus intelligendus sit. Fateor tamen languidam mihi videri descriptionem vestis: quanquam non infitiabor accepto ictu vix dicendi voluntatem in Iphigenia posse exspectari. Id vero certum est, revera mactari puellam, tum ex Lucretio, tum ex tota rei compositione: alioqui nullo domestico sanguine pollutus esset Agamemno: utrum vero mors et sanguis his ipsis verbis declaretur, an e tota descriptione intelligenda sit, id ambiguum esse possit. Pro sanguine id facere videtur, quod *βαφὴ* nusquam de ea re, cui color aspersus est, dictum reperitur apud tragicos, sed de ipsa sparsione, ut de sanguine effuso Pers. 317., de tinctura aeris Ag. 570, ferri Soph. Ai. 651, de colore quo vestes tinguntur ib. 900, Ch. 1013, de asperso veneno Eur. Herc. fur. 1188. Neque *χέειν* de demittenda veste, sed sensu fundendi aquam Suppl. 1028; libationem Ch. 87, 92, 109, 156; Pers. 219; Soph. Oed. Col. 477; El. 84; vocem Theb. 73; Suppl. 632. Glauc. Potn. fr. 31; sanguinem Ch. 401; Eum. 263; vinum Soph. Tr. 706: vel sensu spargendi Soph. Phil. 293 (de gelu), Trach. 853 (de morbo). — *κροκοβαφὴς* de colore sanguinis v. 1046; de colore vestis *κροκόβαπτος* Pers. 660; *κροκόεις* Eur. Phoen. 1491; *κρόκεος* Pind. Pyth. IV, 232.

V. 217. *βέλος ὄμματος* cf. v. 181. Suppl. 1005.

V. 218. Pictae similis est Iphigenia *διὰ τὸ κάλλος ἢ διὰ τὸ ἀφωνητεῖν* Sch. Mihi, quia muta. Picturae meminit etiam Pythias

Eum. 50. — Euripides de Polyxena: ἔδειξε στέρνα ὡς ἀγάλματος κάλλιστα Hec. 514. Talis mollities non est Aeschyli.

V. 221. ἔμελψεν] Fiduciam alloquendi eo solum nancisci poterat puella, quod coram viris iam antea quidpiam professa erat, neque in ullâ hoc facere poterat occasione, nisi in canendo. Quod exempla desunt, ubi regum filiae in coetu principum canentes exhibeantur, nihil refert: quum fere omnia amiserimus carmina, quibus vita pacata regum heroici aevi describebatur. Est vera domus Iovis vera et fida humanarum domorum imago: ubi quum regis deorum filias canentes inveniamus, Musas (Il. I, 104), putandum est etiam inter homines hunc morem valuisse, et Iphigeniam canentem, in Cypriis fortassé carmine, fuisse exhibitam cum choro puellarum. Musae vero canunt Iovis felicitatem et gloriam (ὑμνεῦσαι Δία τ' αἰγιοχον καὶ πότνιαν Ἥρην Hes. Theog. 11; καὶ Διὶ πατρὶ ὑμνεῦσαι τέρπουσι μέγαν νόον ἐντὸς Ὀλύμπου, ib. 36): quidnam canendum erat Iphigeniae puellae, nisi patris laus et felicitas? Haec dicit poeta in iis quae sequuntur: vocabulis ἁγνὰ et ἀταύρωτος coercetur cogitatio vocis et habitus in canendo ita, ut puellam decet. δὲ post ἁγνὰ est explicativum. In hac ipsa re cernitur Agamemnonis crudelitas, quod hanc virginis vocem, quae saepe palam faustissima quaeque patri optaverat, nulla pietate motus cohibet, eamque morti tradit. — De voce ἀταύρωτος vide Bl.

V. 222. τριτόσπονδον] Iovi Servatori peculiaris est tertia libatio. Epigon. fr. 49 invocantur Iupiter et Iuno, heroes, τρίτον Διὸς σωτῆρος εὐκταίαν λίβα. Soph. Naupl. fr. 1: Ζεῦ πανσίλυπε καὶ Διὸς σωτηρίου σπονδὴ τρίτου κρατῆρος. Pind. Isthm. V, 7: τρίτον σπένδειν σωτῆρι. Cf. Eum. 760. Suppl. 27. Hesych. τρίτος κρατήρ. Plat. Phileb. p. 95. A. τὸ τρίτον τῷ Σωτῆρι. Propterea Iupiter τριτόσπονδος appellatus Schol. Aesch. Suppl. 27. Cuius ratio in eo posita est, quod inde ex antiquissimo tempore ternum numerum integrum et perfectissimum Graeci iudicaverant. Propterea Orcus, Iupiter inferus, σωτὴρ νεκρῶν appellatus (v. 1309), et quaecunque tertia actio Iovem spectat, servatori Iovi sacra est. Tertia libatio igitur ea, quae salutem optat vel salutis gratias agit. Hanc optaverat, has egerat Iphigenia ea voce, quam nunc obstringere iussit Agamemno, ut imprecationem cohiberet. Aperte igitur αὐδᾷ τριτόσπονδον αἰῶνα ἑτέρα respicit illud φθόγγον ἀραῖον.

V. 223. *ἔτλμα*] Bene se habet imperfectum, quod cantum describit eaque exhibet, quae aoristo *ἔμελψεν* breviter designabantur.

V. 224—232. Quod sacrificium quae secuta sunt, de iis certi non habeo quod dicam: Calchantis vero vaticinatio haud inanis est. Equidem e ratione iustitiae intelligere cupio ea quae futura sunt: absint vaticinia, quae dolorem accelerant. Illi vero vaticinationi concinna omnia evadent: et opto quidem, ut bene res gerantur: ipse parum validus ad ferendum auxilium.

V. 224. *τὰ δ' ἔνθεν* cett.] ut *τὰ δ' ἄλλα σιγῶ* v. 36. Sunt haec ea, quae sacrificio illo paratum iri praedixerat Calchas, *νεῖκη* v. 140, quibus ortis e memoria veteris discordiae novam hic Agamemnonis facinus ansam dedit. Designatur foedus Aegisthi cum Clytaemnestra, quod non vidit chorus ipsis oculis, quia non intrandum ei est in domum regiam (cf. ad v. 37), quod exstare tamen e multis praesagit indiciis et ex ipsa naturae necessitate, quia incredibile est post hoc scelus mansisse Clytaemnestrae amorem erga maritum. Quatenus haec parata sint, nescit chorus; scit vero non exstare non posse utriusque discordiam, quae simulac sese ostenderit, ratum fiet quod praedixit Calchas. Optat igitur, ut bene tum omnia administrentur: sese vero ipsum parum iuvare posse monet ob infirmam aetatem. — *τὰ ἔνθεν* Eur. Orest. 1272. BL.

V. 226. *δίκα*] ea conditio, qua unicuique contingit id quod iustum est. Quisque intelligit, quae se maneant, simulatque ea sibi accidunt, quae iusta sunt. Itaque nemo vaticiniis indiget neque iis iuvatur. Vox *παθοῦσι* spectat *δίκην*. Omnia inde a *Δίκα* usque ad *προστένειν* unius sunt cogitationis, iudicium chori de omnibus vaticiniis, interposita inter ea, quae de vaticinio Calchantis iudicat chorus. Idem de vaticiniis iudicium est v. 1024., 1057.

V. 228. *δὲ* explicativum. — *προστενάζειν* Pr. 696.

V. 229. *σύνορθον αὐταῖς*] *σύνορθόν τινι*, una cum aliqua re erectum, stabilitum, itaque omnino concinnum. Parum differt a *σύμφυτος* v. 107. — *αὐταῖς, τεχναῖς Κάλχαντος*. Quae minime sunt nimis remota, modo intellexeris quae interposita sunt ea esse unius sententiae.

V. 230. *τἀπὶ τούτοισιν*] in posterum. Eur. Iph. Aul. 435. Ion. 266. Orest. 1453. — *πρᾶξις* de eventu oraculorum Pers. 739. — *πρᾶξις πέλοιτο εὖ*, ut *γένοιτο δ' εὖ* Suppl. 454.

V. 231. *τόδ' ἄγχιστον*] nos ipsi, dictum de eo qui loqui-

tur, ut οὗτος ἀνήρ. — Ἄπλας cf. Suppl. 260, 116. Soph. Oed. Col. 1303. Hom. Il. I, 270. — Schol. Ven. Il. I, 22. Apollod. II, 1, 5. Steph. Byz. Ἀπία. Bl.

V. 232. μονόφρουρον] ἐπειδὴ μόνοι οἱ γέροντες ἐφύλαττον τὴν Ἑλλάδα. Sch. Cf. v. 72 sqq. Ita Persae senes custodes regni, quum omnis profecta sit iuventus. Pers. 1—7, cf. v. 12, 171, 681.

Episodium primum, v. 233—329, exhibet rationem, qua nuntium de excidio Troiae per facium signa acceperit Clytaemnestra, ipsumque excidium, in quo ne destructis aris deorum invidiam, quae periculosum redderet reditum, sibi conflent Graeci, verendum est. Parat chorus gratias diis de victoria agendas.

V. 233—256. Clytaemnestra ex aedibus egressa refert choro nuntium de Troia eadem hac nocte excisa, neque somnio neque praesagitione acceptum, sed signo Vulcani.

V. 233—238. Chorus reginam salutans.

V. 235. θρόνου. Et regi et reginae sua est sedes, ut Alcinoo a filiis, Aretae a puellis circumdatae: Hom. Od. VI, 305 sqq. 308. VII, 170. Eadem ratione, qua hic Clytaemnestram, Persarum chorus veneratur Atossam: Pers. 153. Eandem enim poeta rationem exhibet regis Persarum et vetustorum regum in aevo heroico (ut apud inferos etiam similis est Agamemnonis et Darii honor Ch. 356. Pers. 691), si id exceperis, quod magnificentius ingrediuntur Persarum reges, et humilior est civium animus. Neque enim curru vehitur Clytaemnestra, ut Atossa (Pers. 607), neque humi procumbens eam adorat chorus Argivus, ut Persarum senes (Pers. 152). Talia ut barbara aspernatur Agamemno: v. 851.

V. 236. κεδνόν] quidquid aestimatione dignum est: itaque tum res accepta et proba (622, 648. Ch. 154, 701. Suppl. 206, cett.), tum venerabilis (v. 117).

V. 238. φθόνος. Cf. v. 125. Si tacere constituisti, equidem agnoscam rem tui esse iuris.

V. 239—242. Faustus adest nuntius de expugnata Troia.

V. 240. ἕως, unde ἑῷος Prom. 25. — De hoc proverbio cf. 21, 22, 254, 480. Pers. 300.

V. 241. κλύειν pendet ab ἐλπίδος, maius, quam quod te auditurum esse speras. ἐλπὶς sequente infinitivo v. 637, 1356. Th. 367.

V. 243—256. Quid est, quod dicas? — „Troiam esse Grae-

corum.“ — Laetitia lacrimas movet. — „Video te benevolum.“ — Quidnam certi habes signi? — „Est certum, nisi a diis fallimur.“ — An somnio confidis? — „Non faciam.“ — Num praesagitioni? — „Graviter mentem meam vituperas.“ — Quando urbs excisa est? — „Hac nocte.“ — Quis est tam citus nuntius? — „Mulciber, qui signum portendit ab Ida.“ — Septies dicit chorus tum in his versibus, tum v. 496 — 508: quod sunt qui inter quattuordecim choreutas describant, quibus additus coryphaeus iustum chori numerum expleverit. At e v. 1270 sqq. certissime apparet duodecim tantum in hac tragoedia fuisse choreutas. Sane haec septeni numeri responsio minime videtur negligenda, sed ita distribuendi sunt versus, ut primum pariter et extremum versum dictum putemus nunc a coryphaeo, cuius est munus duplex et exordii et conclusionis: nunc a principe alterius hemichorii, qui vocabatur *λειοστάτης*, respondens coryphaeo, qui erat *δεξιοστάτης*.

V. 245. *ὑφέρπειν* de sensu, qui per corpus spargitur: v. 413. Ch. 463. Soph. Oed. Tyr. 786. Bl. Versus meminit Eust. Od. XIX, 1872, 6. Fletum prae gaudio habes etiam v. 499. Cf. Suppl. 548: Io flentem memoria doloris, quum nunc meliorem nansciscatur fortunam. Soph. El. 1231: *γεγηθὸς ἕρπει δάκρυον ὀμμάτων ἄπο.* — Hom. Il. VI, 464. STANL. Versum nostrum quasi Sophocleum affert Schol. Hom. Od. XIX, 471., neque eum satis certe recognovit Dindorfius Poet. scen. Soph. fr. 786.

V. 246. *κατηγορεῖν* indicare. *ἔγχος κατηγ. πηκτὸν ἐν χθονί* Soph. Ai. 907. Xen. Cyrop. I, 4, 3. Eur. Hippol. 1060.

V. 248. Non accurate choro interroganti, quid signi habeat, respondet Clytaemnestra: repetit antea esse sibi signum, sibi ipsi hoc affirmans, quum nunc prima ei oriatur dubitatio, num hic lusus sit numinis cuiuspiam. — *δολώσαντος θεοῦ*. Ita *δολόμητις ἀπάτα θεοῦ* Pers. 93. *θεῖον ψύθος* Ag. 437. Dictum hoc est ex ea opinione, quae deos non potentia solum, sed etiam sapientia mundum regere opinatur, neque a prudentia et calliditate hanc sapientiam discernit. Itaque *μηχαναῖς* agere dicuntur dii v. 635. cf. 620. Prom. 206, 213. Eum. 845. Suppl. 594, 1074. Discernitur neque a violentia deorum potestas, neque a comitate benevolentia, neque a calliditate sapientia.

V. 249. εὐπειθής, facile persuadens. Ita εὐπ. σήματα de omnibus Ch. 259; δημηγόρους εὐπειθεῖς στροφὰς de oratione in concione habita Suppl. 623. Passivo sensu Eum. 829. — σέβειν magni facere, προτιμᾶν, ut Eum. 715. Niob. fr. 144: τἀνθρωπεῖα μὴ σέβειν ἄγαν.

V. 250. βρίζειν, dormire Ch. 897; nihil agere Eum. 280. Il. IV, 223. Bl. — Minime recipiam opinionem mentis dormientis.

V. 251. πιαίνειν, inflare, tumidum reddere, cf. v. 1585. Inflatur aliquis nunc superbia, nunc laetitia, ut hoc loco. [Idem alibi ἐπαίρειν. F. I.]. — ἄπτερος φάτις. Num praesagitio aliqua te inflavit? Quod Hesychius: ἄπτερος, προσηνὴς ἢ ταχύς. Αἰσχ. Ἀγαμ. παρὰ Ὁμήρῳ αἰφνίδιος: et hoc loco Schol.: ἄπτ. ἰσόπτερος, κούφη: haec omnia excogitata sunt, quia verum sensum ignorabant interpretes. Nihil est ἄπτερον, nisi quod alis caret. Ita Eum. 51, 250. fr. inc. 285. Eur. Iph. Taur. 1095 (ubi chorus se ipsum dicit ἄπτερον ὄρνιν); Herc. fur. 1039 (ἄπτερος ὠδὶς τέκνων ὄρνιθος, pulli avium alis adhuc carentes). De dicto vocabulum usurpat Homerus: τῇ δ' ἄπτερος ἕπλετο μῦθος, Od. XVII, 57; XIX, 29; XXI, 386; XXII, 398: in omnibus his locis de muliere, quae auctoritatem eius, quocum colloquitur, reverita id, quod libenter dixisset, coercet, ut sensus sit: illa vero nihil amplius respondit. πτερωτὴ φάτις est omnis, quam eloquimur, quae φύγεν ἕρκος ὀδόντων; contra ἄπτερος φάτις ea, quae cohibetur, quae supprimitur, idem quod ἄναυδος φάτις. Num cogitatio aliqua, quam tu sola fovisti, quam nemo tibi professus est, num praesagitio aliqua te inflavit?

V. 252. παιδός. Cf. Prom. 986: ἐκερτόμησας δῆθεν ὡς παῖδ' ὄντα με. Atqui in nostro loco nihil de ludibrio, quod inter chorum et reginam intercedere nequit, neque inest in interrogatione chori. Vituperatio vero inest in eo, quod praesagitioni nimis eam confidere ille existimat. — Cf. v. 1323.

V. 253. ποίου — καί] quonam praeterea? ut Eur. Hipp. 91. Bl.

V. 255. τόδε τάχος] tam celeriter.

V. 256. Ἥφαιστος de igne Soph. Ant. 123, 1007. Pind. Pyth. I, 25; III, 40.

V. 257—291. Alia fax aliam excitavit, ab Ida per Hermaeum Lemni, Athon, Macistum Euboeae, Mesapium Boeotiae, Cithaeronem, Aegiplanctum Megaridis et Arachnaeum Argolidis Atridarum domui nuntium misit, iussu Agamemnonis.

V. 257. *ἀγγάρου* nomen gerunt nuntii in regno Persarum literas a finibus ad regem portantes. Quas literas alteri ab altero traditas dicit Herodotus, ut faces in festo Vulcani, quod Athenis celebrabatur. Herod. VIII, 98. Xenoph. Cyrop. VIII, 6, 9.

V. 258. *Ἑρμαῖον ὄρος* Soph. Phil. 1459.

V. 260. *Θρῇσσαν σκοπιὰν Ζηνὸς Ἀθώου.* Soph. Thamyr. fr. 229. Versus citatur in Schol. Victor. ad Il. XIV, 229.

V. 261 sqq. Ac superior, ut dorsum maris transiret, vis facis laete proficiscentis, pinus solis instar splendorem auro similem denuntiabat speculae Macisti.

V. 261. *ὑπερτελής*] superior quam ea, quibuscum comparatur, quae sibi superanda sunt. Soph. Trach. 36. Eur. Ion. 1566. Cf. v. 334: *ὑπερτελέσαι.* — *νωτίζειν*, transire, dorsum maris transgredi. Simili sensu Eur. Phoen. 654. et Herc. fur. 362: tergum tegere. Contra Soph. Oed. Tyr. 193. et Eur. Andr. 1141: terga dare.

V. 262. *ἰσχὺς — πεύκη*] Res apposita ei, quae ipsi inest, qua ipsa aliquid efficit: *μεγίστη πεύκη ἰσχὺς πυρός.* Sch. Ita Suppl. 561: *Τυφῶ μένος ὕδωρ τὸ Νείλου*, aqua Nili, in qua inest vis Typhonis, quae aucta est vi Typhonis. Verum sententiae subiectum in utroque loco posteriorem obtinet locum, itaque rectius haec structura vocabitur praemissio quam appositio. Cf. v. 1401. — *πορευτοῦ πρὸς ἡδονήν.* Ita *φλέγων ἀγλαῶπι πευκῇ.* Soph. Oed. Tyr. 214. — *πρ. ἡδ.* dictum ut Prom. 494.

V. 263. *χρυσοφεγγὴς ἥλιος* Eur. Phaeth. fr. apud Macrob. I, 17. BL.

V. 264. *παραγγείλασα*] Participium pro verbo finito vide ad v. 169. — *Μάκιστος.* Nomen esse non montis, sed hominis contendit Heathius ob sequentia *ὃ δ' οὔτι* cett. Sed omnino de monte cogitandum, ut in ceteris stationibus. Eretria Euboica colonia erat ex Macisto Elidensi (Strab. X, 10) et forte sic dicebatur mons aliquis Euboeae. BL. Quod de monte Lesbi cogitat Bothius, id omnem signorum rationem pervertit.

V. 265. *οὐδ' ὕπνῳ νικώμενος.* Cf. v. 844. — *ὁ δέ, ὁ Μάκιστος*, mons Macistus, quem quasi genium dicit poeta speculatores excitantem.

V. 268. *Μεσάπιον ὄρος μεταξὺ Εὐβοίας καὶ Βοιωτίας.* Sch. Mons circa Anthedonem situs. Strab. IX, 405. Paus. IX, 22, 5.

V. 270. *γραῖα* de pallido ericae colore dictum. Cf. Soph. fr. 748: *γραίας ἀκάνθης.*

V. 276. *πλέον* cett.] Hoc nonnisi variandi causa addidisse poetam inde apparet, quod brevior quam omnes quas antea recensuit est haec Cithaeronis et Aegiplancti distantia.

V. 278. *Αἰγίπλαγκτον ὄρος Μεγαρίδος.* Schol. A boreali parte Geraneae. A boreali parte Aegiplancti lacus Gorgopis, sinus angustus maris Corinthiaci, in terram procurrit. Müll. Dor. II, 432.

V. 279. exhortata est constitutam catervam, ut ignis paratio locum haberet. *θεσμός*, quidquid constitutum est, hoc loco de vigilum caterva: sunt enim plures ubique homines, qui ignem accendant: *σκοπαῖς* v. 264. *φύλαξι* 268. Quod v. 276 *φρουρά*, hoc loco *θεσμός*: propterea v. 280 numerus pluralis. Quod de choro puellarum dictum videtur Suppl. 1035 (aliis de carmine bene composito; sed opponitur illi *στῦλος* v. 1032). *ἵζεσθαι* collocari, neglecta sedendi notione, ut in *καθῆσθαι* v. 1511.

V. 281. *πώγωνα λέγει τὴν εἰς ὀξὺ λήγουσαν ἀκμὴν τοῦ πυρός. καὶ ὁ πώγων γὰρ εἰς ὀξὺ λήγει.* Sch. — *καὶ* cett.] ita ut etiam Saronici freti speculum prominens superaret urendo.

V. 282. *πρών* apud Aeschylum ubique de freto vel sinu maris angusto usurpatum: ita Pers. 132 et 879 de Hellesponto et parte maris Aegaei: ita hic de extrema sinus Saronici parte, quae sola sita est inter montes Aegiplanctum et Arachnaeum. Quod quum respiciat poeta, eam dicit *πορθμόν*, quae vox nunquam de mari aperto, ubique de fretis dicitur: Pers. 69, 722, 799. Neque alio sensu voce *πρών* utitur Sophocles (Arist. Ran. 665): *Αἰγαίου πρῶνας*, quia fretis abundat mare Aegaeum; simili *αὐλών*. Soph. Trach. 100. Scyth. fr. 3. Aesch. Prom. 731. — Exempla, ubi iunguntur substantiva, ut eandem designent notionem, sine copula, congessit Bernhardy Synt. Gr. p. 50.

V. 283. εἴτ' — εἴτ' emphatice, quia iam finitur nuntiorum cursus.

V. 284. ἀστυγειτονουμένας Suppl. 283.

V. 286. οὐκ ἄπαπτον] revera originem ab Idaea flamma repetens, revera ipsa ea narrans, quae indicavit fax Idaea.

V. 287 sq. Talia sunt parata facium instituta, quorum alterum ab altero commutationibus expletur, ratum redditur. — πληροῦν ratum reddere Theb. 477.

V. 289. νικᾷ cett.] Qui ultimus erat in hoc cursu, eiusdem est iuris et honoris, atque qui primus: quum plerumque ultimus, qui ad terminum advenit, victoria et honore destitutus sit.

V. 292—294. Ch. Deos posthac adorabo: illa vero iterum audire et mirari velim.

V. 294. Mixtae sunt duae constructiones: λόγους ἀποθαυμάσαι θέλοιμ' ἄν ὡς λέγεις et λέγοις πάλιν. WELL. Inest in his aliquid urbanae comitatis: nolunt diserte postulare, ut regina repetat id quod dixerat, sed rhetorice id quod optant iungunt cum ea cogitatione, qua optatum illud nititur.

V. 295—325. Ch. Exhibetur excidium Troiae et periculum, quod reditus Graecorum subire possit.

V. 295 — 312. Capta est Troia: ibique diversae audiuntur voces, tum eorum, qui superabantur, planctus de occisis suis: tum eorum, qui vicerunt, rumor varius, quo cibos et aedes spreto ordine et securo animo occupant.

V. 295. Chori orationi responsura primo diserte repetit regina captam esse Troiam, deinde exhibet, quaenam sibi videatur eius conditio, ut omnem removeat dubitationem.

V. 296. ἄμικτον] clamorem dissonum, minime mixtum; qui, quanquam in eodem editus loco, tamen discrepat. Ratio huius cogitationis redditur in διχοστατοῦντα et διχὰ φθογγὰς ἀκούειν.

V. 297. ὄξος τε — καὶ τῶν ἁλόντων sese invicem respicere videntur. — ἄλειφα. Oleum non misceri cum aliquo liquore iam ab Homero observatum Il. II, 754: καθύπερθεν ἐπιῤῥέει ἠΰτ' ἔλαιον. STANL. ἐκχέας, acetum et oleum si ex duobus effuderis in unum vas. WELL.

V. 302. Designantur hoc versu mulieres et puellae. Feminae et pueri remanent, viri et iuvenes caesi sunt. Genere mas-

culino positum est οἱ πεπτωκότες, quia hoc utrosque comprehendit, et feminas, quae hoc versu, et pueros, qui sequenti designantur. — φυταλμίων, affinium. Nescio, cur hoc de parentibus intellexerint interpretes. φυτάλμιος, congenitus. Soph. Oed. Col. 151. φυταλμίῳ πατρὶ Soph. fr. 957: vero patri, quocum genitura iunctus est filius. Ζεὺς φυτάλμιος idem quod ὁμόγνιος. Hesychius: φυταλμίοις, φυτευτικοῖς. Comprehenditur igitur ratio parentum et liberorum hac voce, quae ipsa tamen latioris est notionis.

V. 303. παῖδες γερόντων] ἀσυνδετῶς additum, quia maximam omnium haec imago movet miserationem. — οὐκέτ' ἐξ ἐλευθέρου δέρης, quia victorum servae factae sunt.

V. 304. οἱ φίλτατοι: Eum. 100. Choeph. 234. Soph. Oed. Tyr. 366.

V. 306. νῆστις] v. 174. Prom. 600. — Alteri vero, victores, ruunt post laborem, quo per noctem huc illuc rapiebantur, ad sumendum cibum, quem inveniunt, ad occupandas domus, quas intrant, nulla ordinis ratione habita. — ἀρίστοισιν. Probatur hac re id, quod per se patet, agi hanc scenam tempore matutino. ἄριστον ientaculum Hom. Od. XVI, 2. Palamedes Aeschyli instituit ἄριστα, δεῖπνα, δόρπα θ' αἱρεῖσθαι τρία. fr. 168. — ὧν, ut sumant ientaculum ex iis, quae praebet urbs.

V. 307. ἐν μέρει] id quod cuique iustum est: pro rata. v. 1113. Ch. 332. Eum. 198. — Designatur hoc versu nulla certa ratione res distribui, neque, ut solitum erat, parari maiorem principibus portionem, sed occupare quemvis ea, quae forte inveniat.

V. 311. πάγων δρόσων τε] Cf. v. 519 sqq. — ὡς δυσδαίμονες, ducta similitudo de hominibus minime beatis, qui propter paupertatem non habeant quod custodiant. Ut Iuvenalis: Cantabit vacuus coram latrone viator. SCHÜTZ. Neque in occupandis domibus ordinem, neque in habitandis custodiam curant.

V. 312. ἀφύλακτον] nulla custodiae cura habita dormient per totam noctem, quum antea metuendus fuisset agressus hostium, quae cura somnum saepius turbaverat. Nunc secure agunt, id quod licet victori, modo praesidio divino confidere possit. Ex hac sententia intelligitur, cur de pietatis lege dicatur in proximis.

V. 313 — 325. Modo pie venerentur templa urbis expugnatae: modo ne ea desiderent, quae agere nefas est. Instat enim reditus per mare, in quo, si antea deos offenderint, facile eos vexabit vindicta eorum, quos Troiae occiderunt, cui variae addi poterunt calamitates. Utinam integra nobis contingat salus, ut omnibus bonis frui possimus.

V. 313. *εὐσεβοῦσι*] Constructio ut Soph. Phil. 1441: *εὐσεβεῖν τὰ πρὸς θεούς*. Vides idem, quod chorus v. 70, de religione diis debita sentire Clytaemnestram. Ut vero eum, qui hos offendit, certa manet vindicta, ita pietas eius, qui in ipsa victoria sese coercet et sacras deorum res veneratur, deorum favorem sibi conciliat, ut in alio etiam periculo hi eum adiuvent. Manet tale periculum Graecos in reditu per mare apertum; quum enim pro unaquaque re, quam egit aliquis, patiendum sit ei aliquid, iam Troianorum etiam cladis curam gerunt numina quaedam, ut probabile reddatur in proxima occasione haec ita esse constitutura, ut de Troianorum calamitate par pari reddant victores; quam occasionem habent in illo itinere. Ubi deos classem tuituros esse contra horum numinum impetum sperandum est, si deorum favorem meruerint: si vero offenderint deos, id sane certum est, hos vindictam de Troianis sumendam numinibus illis, quae eam suscitabunt, esse permissuros: et praeter hoc periculum, quod certo instat, multa alia forte fortuna poterunt accidere. Neque irritus est metus Clytaemnestrae. Venerationis enim loco aras destruxerant Graeci v. 485, ira deorum revertentibus tempestatem immisit v. 607: e qua pauci tantum peculiari deorum favore servati sunt v. 620: ii quidem, quos levius peccavisse putandum est.

V. 315. Duplex *ἄν* positum propter negationem, cf. Herm. Opusc. IV, p. 189. Rost. Gr. §. 120. not. 4.

V. 316. *πρότερον*, potius.

V. 317. *ἃ μὴ χρή*, de thesauris templorum.

V. 319. *διαύλου*] *ἐπειδὴ ὁ δίαυλος δύο ἔχει στάδιους, ὧν τὸν ἕτερον διῆλθον ἤδη εἰς Τροίαν ἀνελθόντες, δεῖ λοιπὸν καὶ τὸν ἄλλον διελθεῖν καὶ ὑπονοστῆσαι πρὸς τὸν οἶκον.* Sch.

V. 320. *θεοῖς δ' ἄν ἀμπλ.*] diis vero forte offensis si proficiscatur exercitus, excitata esse poterit calamitas eorum, qui perierunt. Vulgatam defendit Bothius:

etiamsi diis haud offensis proficiscatur, excitatum tamen etc. At et obscurius hoc loco dictum foret εἰ pro εἰ καί, et aegre careremus particula aliqua post ἐγρηγορός, et ea est auctoritas deorum, ut contra eos, qui pie se colant, nunquam talem vindictam excitari sinant, modo ne domesticus fuerit sanguis, quem effuderunt, id quod ipsis legibus divinis adversatur. Minime vero his adversatur occidere hostem in bello: itaque talis facinoris vindicta eum modo laedere potest, quem aspernantur superi. Propterea certe salvum Graecorum reditum sperat Clytaemnestra, modo deos reveriti erint (v. 315), quem connexum evertit Bothii explicatio. ἀμπλακών τι πάρ θεοῖς Ibyci fr. apud Plat. Phaedr. p. 242.

V. 321. ἐγρηγορός] Suscitabitur huius calamitatis memoria et vindicta Furiis mandata.

V. 322. πρόσπαιον, cf. ad v. 169., id quod praeter illam vindictam de Troianorum clade sumendam accidere potest. — εἰ pro εἰ καί.

V. 323. Inferiorem sententiae muliebris auctoritatem vide v. 444, 550. Th. 200. Quibus hae saepius, ut hoc loco, opponunt se quoque aliquid frugi habere: Ag. 1577. Theb. 712.

V. 325. Multa enim sunt bona ea, quorum fructum opto. Dum optat, fatetur magnum esse quod optet, et metuit, ne non certa et solida, sed ambigua sibi contingat felicitas. — εἰλάμην. Aoristus de tempore exacto, quod uno tantum momento distat a praesenti. Ita ἐπεμνησάμεσθα Ch. 623. παρέβαν Soph. Trach. 499. Cf. Bernhardy Synt. Gr. p. 381 sq. Cf. v. 498.

V. 326 — 329. Ea, quae virum decet, sapientia tu, regina, dixisti. Quum vero mihi certa dederis indicia, equidem deos adorabo: pretium enim non vile laborum partum est Graecis.

V. 326. εὐφρόνως] benevole, erga maritum et res Graecorum.

V. 329. χάρις ἄτιμος ut χάρις ἄχαρις Prom. 545. — χάρις εἴργασται ut χάριν ἐπικρᾶναι Ag. 1463. ὑπουργῆσαι Prom. 635. εἴργασται passive dictum ut εἰργάσθαι v. 1268.

Praemisso prooemio anapaestico, quo vindicta iusto tempore a Iove de Alexandro et Troianis sumta celebratur stasimo primo v. 342 — 446. hanc exhibet chorus sententiam: Troianorum favorem fovere non poterant dii iuste agentes: an erga Graecos

eum non integrum habere possint, dubito: itaque vereor, ne hoc signo facis deorum aliquis nos illudat. Quae per tres descripta sunt partes: Iniustum quemvis manet deorum ira: manebat haec Paridem superbum, levem, scelestum (Str. et antistr. I). Desiderio eius, quam eripuerat Paris, ad ultionem excitata est Graecia (Str. et ant. II). Quae vero oriuntur ex hac ultione, iis in ipsos Graecos sese convertit haec deorum ira (Str. et ant. III). Propterea vereor, ne fraude divina decipiamur (Epod.).

Quod sunt qui ineunte hoc carmine reginam abire opinentur, id sine ratione fit: adest enim certe, dum canitur epodus v. 442 — 446, cuius sermones postea respicit v. 548—551.

V. 330 — 341. Adoro te Iovem cum ea nocte, quae Troiam Graecis tradidit omnesque eius cives nostrorum hominum servos (— 336). Revereor iustitiam Iovis hospitalis, qui nunc aptissimo tempore ratam fecit vindictam de Alexandro sumendam, quam din paraverat (— 341).

V. 330. *ὦ Ζεῦ βασ.*] cf. Pers. 532.

V. 331. *κόσμος* de honore victoriae saepe apud Pindarum Ol. III, 13; VIII, 83; Nem. II, 8; Isthm. V, 69.— *κτεάτειρα*, paratrix. Nihil est quod in fine systematis anapaestici hiatus habeat offensionis. Cf. v. 71. Ch. 308, 311, 34. Iisdem his locis breviora videas systemata, ut hic nostrum: ibi tamen trium versuum, duorum v. 1411 sq. Ch. 1007 sq. Eum. 317. Theb. 825 et 827.

V. 333. *στεγανόν*, tegens, ut *στεγαστρὸν* de vestibus, quibus Agamemnon tectus et involutus est a Clytaemnestra Ch. 984. — *δίκτυον*. Imago retis de expugnatione Troiae est in Homero Il. V, 487: ibi vero de capiendis singulis hominibus dicta. Multo gravior haec, qua tota teguntur moenia.

V. 334. *νεαρῶν*] cf. ad v. 76. — *ὑπερτελεῖν*, superare, saliendo transire, ut Pers. 100: *εἰς ἀρχύστατα, τόθεν οὐκ ἔστιν ὑπὲρ θνατὸν ἅλύξαντα φυγεῖν*. Cf. Ag. 1298. — *ὑπερτελής* v. 261.

V. 336. Versum citat Pollux X, c. 30, 132. — *ἀπέραντον δίκτυον ἄτης* Prom. 1078. STANL.

V. 339. *πράξαντα — τελοῦντα*] Cf. v. 161. — Vides Iovem prudenter tempus eligentem: id quod probat eam eius gubernationis rationem, quam exhibui ad v. 248.

V. 340. *ὑπὲρ ἄστρων*] quod extra fines mundi positum est, oppositum illi *ὕπαστρον* Suppl. 393: *ὕπαστρον μῆχαρ ὁρίζομαι*, eos remedio pono fines, qui sub stellis positi sunt: ubicunque stellarum lumen conspicitur, equidem remedio illi operam dabo. Quod vero super hos fines egreditur, nihil amplius invenit, quo se vertat. Quod recte intellexerunt plerique interpretes. Intolerabilem esse Bothii interpretationem, qui commate post *ὑπὲρ* posito, hoc pro *ὑπὲρ καιρόν*, et *ἄστρων βέλος* de fulmine dictum putat, per se patet. — *πρὸ καιροῦ*, ante iustos fines. Cf. v. 719. Confert Blomf. Eur. Suppl. 745: *ὦ κενοὶ βροτῶν οἱ τόξον ἐντείνοντες ὡς καιροῦ πέρα.*

V. 341. *οὐκ ἠλίθιος* de ira divina Pind. Pyth. III, 11.

V. 342 — 446. Paridem Iupiter punivit. Impietatem dii nunquam negligunt, sed in sobole superbarum ulciscuntur domorum, quibus nullum valet in divitiis praesidium (342 — 356). Qui soli suae voluntatis desiderio obtemperat certam sibi parat perniciem, neque in ea dii eius miserantur. Tale facinus commisit Paris erepta hospitis uxore (357 — 371). Helenae desiderio vexantur Atridarum domus et cives, praesentem eam sibi fingentes (372 — 386): inane mox reperientes hoc artificium. Hic est in nostra domo moeror, Graecia vero omnis luget de iis, qui Troiam profecti pro recuperanda Helena ceciderunt (387 — 401). E bello enim pro viris aliis cineres tantum reportantur, alii in hostili terra sepulti manent (402 — 418). Itaque invidia in Atridas exoritur, cuius scientia me sollicitat: felicitas nimis elata destruitur a Furiis, perditur ira deorum: securitatem sola praebet modestia (419 — 433). Vereor, ne quis deus nuntio de victoria reportata nos decipiat: ne nimis ei confidamus: credulum animum mulieribus relinquamus (434 — 446).

V. 342 — 343. Iovis ictum illos esse expertos facile investigatu.

V. 342. *Διὸς πληγή* Soph. Ai. 137. Cf. v. 484. Theb. 608. — *εἰπεῖν*] Infinitivus additur ut *λέγειν* v. 800, *μαθεῖν* v. 1060. Inest hoc loco in hac voce notio confitendi: fatendum est iis, se revera Iovis ictum esse expertos. Simili ratione dictum *ἐξεῖπον* v. 866.

V. 343. *πάρεστι*, licet, ut v. 1276. *πάρα* 1585.

V. 344 — 347. Perpessus est ut egit. Quod est qui deos curam non habere impiorum hominum dixerit, is religione caret.

V. 345. *ἀξιοῦσθαι*] Vides prima cogitationum, quas de diis Epicurus fovebat, vestigia.

V. 346. *χάρις*] laeta et decora conditio. Theb. 703. — *τὰ ἄθικτα* Soph. Oed. Tyr. 891.

V. 348 — 353. Apparet id per posteros domorum superbarum. Modo ut nobis modesta contingat felicitas.

V. 348. *πέφανται ἐκγόνους*, apparet per posteros, per sobolem: ut *φανῆναι ὁδὸν* Soph. El. 1273; *κέλευθον* Ai. 877, apparere per viam, apparere percurrentem iter. Ita hoc, quod investigandum erat (v. 343), apparet ostendens sese in tota sobole. Dativo *ἐκγόνοις* nihil declaratur, nisi intelligi a posteris, ut *φανῆναι ὁδῷ* nihil nisi conspici in itinere: accusativus designat rationem eorum quae appareant omnem positam esse in sorte sobolis, in ratione itineris. Ita *στῆσαι χόρους* Eur. Electr. 178 iustum locum obtinens in choreis, quod designat, omnem stationis rationem positam esse in ordine chorearum, ubi quod intrusum est a nonnullis *στῆσαι χόροις* nihil est nisi positam esse in chorea, neque designat, quidnam in ea significet haec statio.

V. 349. *ἀτόλμητος*, intolerabilis, ut *ἄτλητος*. Ita Pind. Isthm. VII, 11 *ἀτόλματον Ἑλλάδι μόχθον*: ubi cf. Dissen. *τολμᾶν* perferre (Soph. Oed. Col. 184 *τόλμα, ξεῖνος ἐπὶ ξείνης*) idem quod *τλῆναι*. Pertinet *ἀρ.* ad *δωμάτων*. Qualem epithetorum cumulationem vide v. 142.

V. 351. *ὑπέρφευ φρονεῖν* Pers. 820.

V. 352. *ἀπαρκεῖν*, sufficere, ut Pers. 475 *οὐκ ἀπήρκεσαν οἷς πρόσθε Μαραθὼν ἀπώλεσε*. Soph. Oed. Col. 1769: *ταῦτ' ἂν ἀπαρκοῖ*. Eurip. inc. fr. 12, 4: *οὐκ ἀπαρκεῖ πλησμονή*. Quod hoc loco cum accusativo iunctum, ut nonnullis *ἀρέσκειν* Matth. Gr. §. 411. Annot. 2. Sit res libera a calamitate, ita ut ei, qui sanae mentis est, sufficiat.

V. 354 — 356. Nullum enim contra interitum est praesidium ei, qui prae superbia laesit iustitiam.

V. 354. *οὐ γὰρ ἔπαλξις — πρὸς ἀφάνειαν*] eadem sen-

tentia, quae v. 426: ἐν δ' ἀίστοις τελέθοντος οὔτις ἀλκά.— ἔπαλξις, pluteus, Theb. 30, 158.

V. 355. πρὸς κόρον] ut πρὸς ἀνάγκαν Pers. 569. πρὸς βίαν Eum. 5.

V. 356. δίκας βωμός] ut Eum. 539.

V. 357 — 360. Urget infausta suadela, intolerabilis noxae filia conciliatrix: neque ullum est remedium: haud latet, sed conspicua est pernicies, lux horrendum splendens.

V. 357. πειθώ] suadela interior, quam exercet motus animi. Similis sententia est v. 202. βιᾶσθαι vox Homerica, tragicis rarius usitata. Ibi vero tum de vi manus, tum de vi mentis: φεύδεσσι βιᾶσθαί τινα Il. XXIII, 576. Cf. Pind. Nem. VIII, 34.

V. 358. προβουλόπαις] filia curam gerens. Noxa, quae mentem laesit, progignit persuasionem suppeditantem argumenta, quibus ad exsequenda noxae consilia commovetur aliquis. πρόβουλος δήμου, qui populo prospicit, magistratus: Theb. 1006. Eadem ratione compositae sunt voces αἰνόπατερ Ch. 315. ἀμβροτόπωλος Eur. Troad. 536. Αἰνόπαρις Hec. 945: omniumque similima εὐφιλόπαις v. 669.

V. 359. ἄκος πᾶν μάταιον] Neque divitiae eum sustinent, qui superbe egit, neque preces, quibus sero deos invocat, illae v. 355, hae v. 367 commemoratae.

V. 360. φῶς αἰνολ.] ut σκότῳ φάος ἰσόμοιρον Ch. 319.

V. 361 — 368. Malique aeris instar (superbus ille homo) eo quod attritione et allisione nigrum colorem nanciscitur, redditur iudicatus; quod pueri instar avem persecutus est, qua re civitati calamitatem intulit intolerabilem. Neque deorum aliquis eius preces exaudit: sed perdit hominem improbum in his rebus versatum.

V. 362. προσβολὴ omnis alicuius rei fortior admotio: itaque de invasione exercitus Theb. 28, de aggressu Furiarum Ch. 283, de contaminatione sceleris Eum. 600. Hoc loco de iniiciendis manibus, quarum tactu perditur aeris splendor.

V. 363. μελαμπαγὴς de sanguine, qui in concrescendo

nigrum nanciscitur colorem Theb. 737. Similis est ratio mali aeris, quod initio splendet, usu vero maculis obducitur.

V. 364. *δικαιοῦν*, ostendere et iudicare id quod aequum est. Itaque eo ipso ille damnatur, quod attritio maculas ostendit.

V. 365. *διώκειν τὸν πετόμενον* proverbialis dictio. Plat. Euthyphr. 4. Ita *ἀκίχητα διώκων* Hom. Il. XVII. 75. STANL.

V. 366. *πρόστριμμα*. Ipse attritione spectatus pariter atque attritionem civitati intulit.

V. 367. *λιτᾶν* cett.] Cf. Theb. 702: *θεοῖς μὲν ἤδη πως παρημελήμεθα*. — *ἐπίστροφος τῶνδε*, qui in his versatur, horum curam gerit. Ita *ἐπιστρέφεσθαί τινος* Soph. Phil. 599. BOTH.

V. 369 — 371. Id quod Paris egit, qui quum domum Atridarum venisset, mensam hospitalem ignominia uxoris ereptae affecit.

V. 371. *ξενίαν τράπεζαν*] cf. v. 653, Eur. Hec. 793. — *κλοπὴ* vide v. 492 de eodem Paridis facinore. SCHÜTZ.

V. 372 — 386. Quae bellum civibus, Troiae excidium paravit hac fuga, de qua ita querebantur vates domestici: Vae domum et principes, vae lectum et fugam. Tacita redit ad inultos, nullo recepta convicio; sed carissima imago, quae desiderio fingitur, neque iuvat maritum venusti quidquam.

V. 373. *ἀσπ. κλόνους*, ut *ἱππιοχάρμας κλόνους* Pers. 106. — *ναυβάτης στρατός* v. 917.

V. 374. *ἄγουσα* cett. *γάμου πικρὰς τελευτάς* v. 688.

V. 375. *πυλᾶν*, domus Atridarum, minime Troiae: hoc enim loco tristitia exhibetur ea, quae ex Helenae fuga oriebatur Argis, *κατ᾽ οἴκους ἐφ᾽ ἑστίας* v. 393. Narrat chorus ea, quae ipse vidit, sensit et audivit e vatibus. Vides igitur Helenam et Menelaum habitavisse Argis.

V. 377. *προφῆται*] Iovis *προφήτης* dicitur Apollo (Eum. 19), qui oracula a Iove accipit (Eum. 618): *μέγας προφήτης*, vates insignis, Amphiaraus Theb. 611. Vatis est pronuntiare id, quod latet, quod tamen ex iis, quae eo efficiuntur, cognoscitur: tum res futuras, quarum fontes iam exstant, tum res praesentes, quae non omnibus sunt perspicuae, tum res exactas, quae non omnibus patent. Ita designatur Calchas Hom. Il. I, 70: *ὃς ᾔδη τά τ᾽ ἐόντα τά τ᾽ ἐσσόμενα πρό τ᾽ ἐόντα*. Hoc loco vates designant res

praesentes, τὰ ἐόντα, vigere Helenae memoriam et desiderium in omnibus, qui sunt in domo Atridarum, ut quasi praesens dici possit. Ibi igitur orationi vatum finis est assignandus, ubi ea narrantur, quae patent omnibus: ea vero, quae a vatibus enuntiantur, non possunt esse eiusmodi, ut ab omnibus cernantur. Sunt vero haec a vatibus relata: adesse Helenam, quae aufugerit, clandestina praesentia, spectri instar (383 — 383); odio habere Menelaum ea quae antea dilexerit (384 — 386); solatio esse ei sola somnia quibus uxorem aspicere opinetur, sed inane et brevius esse hoc solatium (387 — 392). His omnibus ad ultionem excitati sunt Graeci, nec vero desinit luctus et desiderium expeditione suscepta, usque donec ad finem haec erit perducta (393). Patet ex his ea tantum in oratione vatum posse exhiberi, quae luctum et ultionis voluntatem suscitant. Si vero, id quod ab omnibus factum est interpretibus, de Menelao intelliguntur v. 380 sq., qui, quamvis honore privatus, non irascatur Helenae: hoc prorsus huic loco ineptum videtur ut rege indignum, cui, si quid desiderat, agendum est, ut eo potiatur, sane non domi ambulandum et in amore ab actione pariter et conviciis abstinendum. Imo de Helena, quae quasi praesens cogitatur, dicti sunt v. 380 — 383, de desiderio Menelai et civium ea quae sequuntur: his vero nihil demonstratur, nisi non potuisse eos, qui tanto flagrarent desiderio, manere domi, sed profectos esse in bellum cum multis sociis. Ibi vero ex eo, quod pereunt tot socii pro hac aliena causa, nova exoritur calamitas (395 sqq.).

V. 378. πρόμοι (v. 180) Atridae. Agamemnonis pariter ac Menelai honorem offenderat Paris.

V. 379. λέχος, lectus, quo utebatur Helena, quem nunc reliquit. — στίβοι φιλάνορες, gressus amatorii, fuga Helenae cum Paride. Nihil inest in φιλάνωρ de notione mariti, neque ullo modo στ. φιλ. vestigia coniugalis amoris designare potest. — φιλάνωρ v. 788 et Pers. 136 de nudo amore feminae erga marem, et potissimum quidem erga maritum. στίβος ubique de ipso gressu vel ipsius gressus vestigio: Ch. 210, 228. Prom. 679. Soph. Phil. 29, 48, 157, 163, 206, 487. Ant. 773: nunquam metaphorice de eo, quod memoriam excitat. De hoc solummodo ἴχνος dici posset, et vix dicitur.

V. 380. *πάρεστι*] redit, adest, ut *πάρεισιν δόξαι* v. 388. — *σῖγα*, quia non ipsa adest Helena, sed desiderantibus videtur adesse. Neque loquentem sibi fingere possunt, sed tacentem, quia sane premitur memoria, quod *ἄτλητα* susceperit. — *ἀτίμους*, Atridas, illos *πρόμους*, qui ultionis adhuc honore carent. Ita *ἄτιμος* v. 1200. Theb. 589. Nunquam enim incerto et generali quodam sensu dicuntur *τιμὴ* et *ἄτιμος*, sed certa semper cuiuspiam rei ratione habita. — *ἀλοίδορος*, idem quod *ἀλοιδόρητος* (Soph. inc. fr. 739), nullo convicio recepta. Atridae, qui Helenam quasi praesentem cogitant, minime conviciis in eam invehuntur, sed pietate eam recipiunt; vindictae vero desiderium maxime in iis incenditur hac imagine, quia adhuc carent hoc honore.

V. 381. *ἄδιστος ἰδεῖν*] gratissima aspectu. Comparativis et superlativis quae in *-ρος* et *-τος* terminantur, saepe est genus commune: tum versus gratia, tum ut pravus evitetur sonus. Versus causa ibi, ubi omnino non ferret metrica res formam alteram, ut hoc loco: in tali enim ordine, qui e puris constat iambis, vocabulo *ἡδίστη* nullus est locus. Liberius etiam egit scriptor hymni in Cererem v. 157: *κατὰ πρώτιστον ὀπωπήν*: fert enim hexameter formam *πρωτίστην*, sed non fert ille locus. Notum est Homeri Od. IV, 442: *ἁλιώτατος ὁδμή*. Ne Thucydides quidem ab his formis abhorret, V, 110: *ἀπορώτερος ἡ λῆψις*, et III, 101: *δυσεσβολώτατος ἡ Λοκρίς*. Cf. Dorvill. Charit. 347. Buttm. Gramm. ampl. I. p. 247. annot. 5. Et Aeschylus ipse insigni libertate: *ἀφθονέστερον λίβα* Heliad. fr. 65 (Ddf.). Herm. Progr. de Aesch. Hel. p. 8. — Perspexit veri aliquid scholiasta: *τῇ παλαιᾷ αἰδοῖ σώζομεν αὐτῆς τὴν παρουσίαν καὶ πάρεστιν ἡμῖν ἰδεῖν ἡδίστη καὶ πολύτιμος καὶ ἀλοίδορος. ἤγουν νομίζομεν ἔτι παρεῖναι αὐτὴν καὶ τῆς παρ' ἡμῶν τιμῆς ἀπολαύειν.* — *ἄδιστος ἀφεμένων*, gratissima omnium, quae dimissae sunt. *ἀφιέναι* de dimittenda sponsa e domo paterna, ut omnino de dimittendo in discessu. Saepe quidem dimittuntur e domibus mulieres: nullius vero tantum manebat desiderium quam Helenae. Cf. Eur. Iph. Aul. 688: *ἀποστολαὶ γὰρ μακάριαι μέν, ἀλλ' ὅμως δάκνουσι τοὺς τεκόντας, ὅταν ἄλλοις δόμοις παῖδας παραδιδῷ πολλὰ μοχθήσας πατήρ.*

V. 382. *πόθῳ δ'*] *δὲ* explicativum. Hi versus explicant notionem vocis *πάρεστι*. — *ὑπερπόντιος*, qui trans mare habitat: Suppl. 42.

V. 383. *φάσμα*] imago vel spectrum Helenae. Ridiculum est, quod excogitaverunt nonnulli, desiderio intabescere Menelaum, ut umbrae similis appareat.

V. 384. *δὲ* continuativum, exhibiturum rationem illius *πόθου*. — *κολοσσός*, statua sensu generali. De statua mulieris Herod. II, 130, viri ib. 143. Significatio magnitudinis, quae humanam excedat (Etym. m.) serius est recepta. Huic loco sola haec vox apta, *ἀνδριὰς* tragicis neque usitata (tamen Pindaro) neque de muliebri dicenda; *εἴδωλον* dubiam fecisset sententiam. — Ne id quidem, quod venustissimum est in aedibus Atridarum, amplius placet Menelao.

V. 386. *ὄμμ. ἀχ.*] oculorum inopia. *ἀχηνία* inopia, conditio ea, in qua caremus aliqua re: *χρημάτων ἀχηνία* Ch. 301. Dictum est de oculis Menelai, qui carent aspectu Helenae: in hac oculorum inopia perit omne amoris gaudium. Non in aspiciendo oculo, sed in oculo aspiciente formam venustam invenitur hoc gaudium. De quo vocabulum *Ἀφροδίτη* positum, ut *Κύπρις* Prom. 650. Quod *ὄμμ. ἀχ.* de statuis, quae eleganter formatae oculis tamen careant, interpretatur Schützius: neque hic communis erat aetatis Aeschyleae mos fabricandi statuas oculis haud expressis: neque omnino hoc loco dicendum erat de hoc oculorum in statuis defectu, qui, si quidem deficiebant, non eo tantum tempore sed semper deficiebant. — Ceterum ut hoc loco de gaudio, ita mero desiderii sensu posita est vox *Ἀφροδίτα* Eur. Iphig. Aul. 1264.

V. 387 — 392. Dolor imaginem absentis reginae in somniis revocat: inani quidem voluptate, quae e manibus evadit expergefacto.

V. 387. *ὀνειρόφ.* cett.] Cf. Eur. Alcest. 355: *ἐν δ' ὀνείρασι Φοιτῶσά μ' εὐφραίνοις ἄν.* BL. — *πενθήμονες δόξαι* non tristificae opiniones, sed quae oriuntur e tristitia, e dolore desiderii, ut *πένθιμος αἰδώς* Suppl. 579.

V. 389. Frustra enim si quis grata aspicere opinans. Pro opinatur vel opinans est. De hoc participiorum usu dixi ad v. 169. *εἰ* cum participio Pind. Ol. II, 56.

V. 391. *οὐ μεθύστερον*] simul, eodem temporis momento, ut *οὐδὲν ὕστερον* Theb. 991. Cf. Ag. 1566: *οὐχ ἑκάς.*

V. 392. Evadit alis somni vias sequentibus. *ὄπαδός τινι* ut *ὀπηδεῖν τινι.* SCHÜTZ. *ὄπαδός τινο*; Soph. Oed. Col. 1092.

V. 393 — 401. Haec sunt ea, quae nos domi lugemus: luget vero tota etiam Graecia, et de eo potissimum, quod virorum, quos bello misit, loco vasa tantum cum cinere reportantur.

V. 393. *ἐφ' ἑστίας*] in intima domo, ita ut proxime ad nos pertineant.

V. 394. *καὶ τῶνδ'* cett.] Dolor de periculo, quod pro Helena recuperanda subeunt Atridae, gravior ille quam ipse dolor civium de erepta Helena. Quum vero Argivis ipsis dolendum sit de hac expeditione: multo etiam magis ea reliquis displicet Graecis: quorum reges et amici occiduntur in terra hostili alienae uxoris gratia. Plura de periculis domui instantibus non exhibet chorus, tum quia factum hoc est in primo carmine, tum quod adest Clytaemnestra.

V. 395. Omnino vero iis, qui e Graecia profecti sunt, domi uniuscuiusque ortus est luctus animum affligens. *δὲ* post *τὸ πᾶν* respondit illi *τὰ μὲν* v. 393.

V. 396. *τλησικάρδιος*] idem quod *ταλασίφρων* et *ταλακάρδιος* Soph. Oed. Col. 540.

V. 398. *θιγγάνειν πρός τι*, tangendo pertinere, pertinere ita ut tangat, fortius dictum pro *ἐφ' ἥπαρ προσικνεῖται* v. 724. Alibi cum genitivo iungitur *θιγγάνειν* Theb. 44, 258. — *πολλὰ* cett., Duplex designatur cogitatio: luctus de iis, quorum cinis revertitur (399 — 414), et de iis, quorum corpora manent in Troade (415 — 417).

V. 401. *τεύχη* de urnis, quibus conditur cinis, quae postea *λέβητες* dictae. De iisdem *τεῦχος* Soph. El. 1120. De armis hoc loco Schützius vocem intelligit: contra quem monuit Bothius neque hoc sensu dictam legi hanc vocem apud Aeschylum (at apud Sophoclem Ai. 572, 577; Phil. 370, 398; et apud Aeschylum *τευχηστήρ*, *τευχηστής* et *τευχεσφόρος* de armato Pers. 903; Theb. 644; Ch. 627: ut non dubitandum sit, quin hunc sensum voci *τεῦχος* tribuerit Aeschylus): et ex usu communi aetatis heroicae arma cremari cum viris: Il. VI, 418. Od. XI, 74. — Quae tamen omnia rem non satis firmant; saepe enim arma non esse cremata notum est: id vero pro hac re facit, quod v. 408. denuo memoratur urna, et quod hoc factum est ex Aeschyli more exhibendi eadem longius in altera parte, quae brevius dixit in altera.

V. 402 — 414. Hunc cinerem tristificum mittit Mars, qui bella decernit. Lugent affines de occisis, in alio virtutem celebrantes, in alio honestam mortem pro aliena muliere obitam. Talia dum clam iactantur, succrescit invidia in eos, qui huius calamitatis erant auctores, in Atridas.

V. 402. Mars, qui corpora cum auro commutat et libram tenet in proelio. Corpora auro redemta nota ex Iliade, tum vivorum, tum mortuorum.

V. 403. *ταλαντοῦχος* Mars in bello, ut in omnibus rebus Iupiter: Suppl. 822; in quibusdam genius aliquis Pers. 346.

V. 405. *φίλοισι πέμπει*] De hoc more cineris e bello reportandi vide Hom. Il. VII, 332. BOTH. — *βαρύ*, tristificum.

V. 406. *ψῆγμα*] *ξύσμα ἢ μικρὸν θρύμμα, πλάσμα.* Hesych. ramentum. BL. cinere viri vicem habente implens urnas bene condito.

V. 408. *εὔθετος* de scuto Theb. 642, de caliga Phoen. fr. 238: bene iunctus, bene paratus. Hoc loco: bene conditus: apte positum in fine sententiae, urnis antea commemoratis, quae ita erant paratae, ut bene conderetur cinis. — *λέβητας*. Cinis saepe urnis aeneis conditus, aurea Patrocli (Il. XXIII, 243, 253) et Achillis reliquiae (Od. XXIV, 74). Cf. Choeph. 686.

V. 409. *εὖ λέγειν τινά*, bona dicere de aliquo, laudare, ut *εὐλογεῖν* v. 538. Cf. v. 510, 1108. — *ἴδρις*, a quo *ἄϊδρις* v. 1030. — *ὡς μ. ἴδρις* ut *ὡς θρασύστομος* v. 1321. Cf. 1387. Bernh. Synt. p. 333.

V. 411. *γυναικὸς δικαί* v. 1474. Valde imprudentem hanc expeditionem de erepta muliere susceptam exhibet Herod. I, 4.

V. 412. *τάδε σῖγά τις βαΰζει*] Ea, quae modo exhibita sunt. Repetunt enim haec verba notionem antea per *στένουσι* designatam. — *βαΰζειν*, latrare, infensa voce saepius crepare, ut Pers. 13. *δυσβάϋκτος* Pers. 574. Cf. ad v. 852.

V. 413. *φθονερὸν ἄλγος*] dolor ex invidia ortus tacite paratur Atridis. *ὑφέρπειν* vide v. 245.

V. 414. *πρόδικοι* principalem obtinent locum in exercenda iustitia.

V. 415 — 417. Alios vero decoros viros prope Troiam in sepulcris tenet solum hostile.

V. 415. *οἱ δ'*] Sunt quorum cineres reportarentur cognatis, id

quod exhibetur v. 399 — 414: sunt etiam quibus ne id quidem contigit, ut in patria sepelirentur: quibus manendum erat in terra hostili. Duplex haec cogitatio luctum movet antea designatum (398): illa excitavit invidiam, haec vero, quae multo gravior est et tristior, ne imprecationem provocet, verendum est. — *τεῖχος, ὃ ἐκόλησαν ἐν τῇ Τροίᾳ. Βέλτιον δὲ αὐτῆς τῆς Τροίας τὸ τεῖχος εἰπεῖν.* Sch. — *θῆκαι* de sepulcris Pers. 405. Suppl. 26.

V. 417. *εὔμορφοι*] *τὸ δ' εὔμ. πρὸς πλείονα οἶκτον προσέθηκεν.* Sch. Exhibendum erat, quantum terrae hostili in his sepulcris contigerit bonum, ideoque nobilis eorum, qui ibi iacerent, indoles designanda. Lugendum erat de hac iactura non eorum modo gratia, qui carissimum in patria terra sepulcrum haud nacti sunt (cf. v. 465): sed eorum causa, quibus cum sepulcris horum heroum auxilio bellico carendum erat, quod quanti fuerit pretii, vides ex Sophoclis Oedipo Coloneo et Aeschyl. Eum. 767. Sane igitur metuendum erat, ne communi huic Graecorum tum carissimis viris tum pretiosissimis sepulcris orbatorum in Atridas invidiae quidquam tribueretur a superis.

V. 418 — 433. Graves sunt infensi civium sermones nec minus exsecratione timendi. Est mihi metus, ne quid mali nobis accidat neces illas ulturum. Eum enim, qui iniuste ad felicitatem pervenit, perdunt Furiae, perdit Iovis fulmen. Ne unquam assequar tale fastigium fortunae: utinam mediocri mihi conditione vivendum sit, neminis victor, a nemine opressus.

V. 419. Sermo civium infensus imprecationis, quam populus ratam facit, negotium solvit. *τίνειν χρέος*, negotium alicuius solvere, perficere, idem quod alicuius vice agere, eadem, qua ille, potestate ornatum esse. — *δημόκραντος ἀρά*, ut *δημοῤῥιφὴς λευσιμὸς ἀρά* v. 1532. *δημόθροος ἀρά* v. 1331. *φήμη δημόθρους* v. 870.

V. 420 sq. Eadem sententia brevius dicta Theb. 843: *μέριμνα δ' ἀμφὶ πόλιν.*

V. 421. *νυκτηρεφές τι*, caliginosi aliquid. Caligo de calamitate saepius dicta: *ἀνήλιοι δνόφοι* Ch. 52. *νὺξ ἄκραντος* ib. 65: de ea potissimum, quae tacite paratur. Suppl. 86 — 89. cf. 92 — 94. Ita hic, ubi is, qui deprimitur hac nocte, dicitur *ἀμαυρός, ἄϊστος* v. 426.

V. 422. *πολυκτόνος* cf. v. 681. idem quod *πυλυκμανὴς* v. 1091. Troianorum multos interfecerunt, Graecorum multos morti dederunt Atridae. Cf. v. 321.

V. 423. *ἄσκοπος* sensu activo: non curans, non providus, ut Hom. Il. XXIV, 157 et 186. Ita *σκοπὸς* de cura Iovis Suppl. 381, 646. In reliquis tragicorum locis *ἄσκοπον* de eo quod obscurum est vel inexspectatum: Ch. 816. Soph. El. 864. Ai. 21 cett.

V. 424. *κελαιναί*] cf. Theb. 977, 699; Ch. 1049; Eum. 52, 352. — Furiarum mentio praeparabatur designatione imprecationis, quae rata facienda est Furiis: vide Eum. 417. Qui invidet alicui, optat ei damnum: invidia aucta usque ad odium excitat imprecationem, imprecationem Furiae efficiendam curant. Dum vero probus est ille homo, cui invident reliqui, eum defendunt superi, neque eum aggredi possunt Furiae (v. 701. Eum. 313 sqq. 550 sqq.): simulac vero improbi aliquid commiserit, a diis desertus traditur arbitrio illarum. Propterea periculosa est illa conditio, quia rarissime is, cui nihil metuendum est, integrum se ab omni improbitate conservat (Eum. 522 et 699). Haec sunt cae sententiae, quarum respectu habito ita vivere cupit chorus, ut a nemine sibi invideatur, ut neminis odium et imprecatio sibi timenda sit. — *χρόνῳ*, iusto tempore v. 121.

V. 425. *παλιντυχῆ*] conversa fortuna utentem, ita ut conversa fortuna utatur. Accusativus hic spectat accusativum *τυχηρόν*. — *τριβᾷ βίου*, cursu vitae, ut *τρίβειν βίον* vitam agere. Soph. El. 602.

V. 428. *ὑπερκότως*] cum ira eius, quem dicentem audimus, ut *ξὺν κότῳ* v 418. Activo sensu dictum v. 754. — *κλύειν εὖ* laudari (*λέγειν εὖ* laudare v. 409), ut *κλύειν δικαίως* Eum. 430. *κλ. ἄναλκις* Prom. 868.

V. 429. Eiicitur enim oculis a Iove fulmen. Insignis et audax dativi usus, sed iustus. Inspici et inspiciendo gubernari res humanas a superis, communis est Graecorum cogitatio. Ab hac inspectione tum auxilium exspectatur (Suppl. 144), tum poena, ut Theb. 485: *Ζεὺς νεμέτωρ ἐπίδοι κοταίνων*, et Ag. v. 879: *θεῶν μή τις πρόσωθεν ὄμματος βάλοι φθόνος*. Vides ibi invidiam ex oculo divino ferientem, videas Prom. 356: Typhonem, qui torvum ex oculis splendorem fulgurat, *ἐξ ὀμμάτων ἤστρα-*

πτε γοργωπὸν σέλας: aliamque oculi potestatem Prom. 903: ἔρως ἄφυκτον ὄμμα προςδέρκοιτό με. Apparet ex his optime dici posse Iovem ex oculis deiicere fulmen, potest iam etiam dici oculis deiicere. Est haec audacia, quod instrumentum, quo fulmen mittit Iupiter, dicuntur eius oculi, sed sane poetica, neque maior, quam si Olympum concutere dicuntur eius crines leviter moti in loco Iliadis.

V. 431. ἄφθονος, cui nemo invidet, ut ἀφθόνητος v. 871. Alibi plerumque de eo, quod sine invidia abunde praebetur. — κρίνω, eligo, praefero, Suppl. 396.

V. 432. Altera forma πολίπορθος v. 716.

V. 433. κατιδεῖν πῆμα Pers. 1028. Ibi pariter ac nostro loco aoristus designat non de perpetua conditione, sed de ipso victoriae momento dici. Ne unquam ita vitam meam aspiciam, ut sit vita victi.

V. 334 — 446. Rumor de nuntio ignis spargitur per urbem: nescio vero utrum fidei aliquid ei tribuendum, an fraus haec sit divina. Puerile est novae rei celerius confidere et postea mutare sententiam. Decet hoc mulierem: credulae enim sunt mulieres, neque manet earum fides.

V. 438. ὧδε sequente infinitivo, ut οὕτω Eur. Phoen. 380. Cf. Bernh. Synt. 362. φρενῶν κεκομμένος, mente laesus; mente captus. Ita νόου βεβλαμμένος apud Theognidem v. 223. BL.

V. 446. πυροῦσθαι ut θερμαίνεσθαι κεναῖσιν ἐλπίσιν Soph. Ai. 478. BL.

V. 441. λόγου, rumoris.

V. 442. γυναικὸς αἰχμή Ch. 630., hasta mulieris, potentia mulieris, (*das Maass weiblicher Kraft*) ironice dictum de imbecillitate muliebri, cui convenit re non cognita probare id quod placet mentemque suaviter afficit. F. I.

V. 444. Valde onim credulus ambitus mentis muliebris movetur cita mutatione. ὁ θῆλυς ὅρος, fines, quibus ea continentur, quae creduntur et cogitantur a muliere. ἐπινέμεσθαι hic et illic describi, huc illuc transferri. Schol. ὁ θῆλυς ὅρος, ἤγουν περιφραστικῶς ἡ γυνή· ὡς ταὐτὸν γυναῖκα εἰπεῖν καὶ ὅρον αὐτῆς ἐκθεῖναι. Quod nec plane falsum, nec omnino verum: de definitione enim vel descriptione non cogitandum est, sed

de descripto fine, de quo ὅρος semper dictum a tragicis. Alteram illam significationem a philosophis accepit. Cf. v. 1077.

V. 446. κλέος, fama, id quod traditur, fertur et praedicatur. Ita v. 1023 et 1278. Ita h. l. de nuntio, quem mulier praedicavit. De gloria nonnisi fr. 301. γυναικογήρυτον· τὸ φημιζόμενον ἀγαθὸν ὑπὸ τῶν γυναικῶν ἀνύπαρκτόν ἐστι καὶ ταχέως φθειρόμενον οὐκ ἐπὶ πολὺ διαμένον. Schol.

Secundo episodio v. 447—638. exhibetur adventus praeconis, qui certiores facit vera esse nuntiata per illud facis signum. Diis adoratis describuntur molestiae, quibus vexatus sit exercitus, nunc multo superatae splendore victoriae. Respondet nuntio, qui Agamemnonis adventum praedixit, Clytaemnestra, fidem pie servatam gaudiumque de reditu coniugis exhibens. Quod de solo Agamemnone dixerat praeco, chorus quaerit de Menelao. Hunc terribili tempestate, ex qua ipsi vix evaserint, abreptum esse ille narrat, eumque pariter ac se ipsos a diis servatum et mox rediturum esse sperat.

V. 447 — 458. Mox cognoscemus, utrum vera nuntiaverit facis signum, an deceperit nos: accedit enim a litore praeco, qui non signis, sed verbis nos certiores reddet, aut de laeta re — alteram non memoro.

V. 448. παραλλαγάς] nuntium alii ab alio traditum. — Totum signi dandi negotium conficiebatur primum excubiis ad observandas faces positis (φρυκτωριῶν), deinde acervis lignorum, quibus ignes excitarentur (πυρός), denique facibus, quae ipsis acervis, ut ignem conciperent, admovebantur. SCHÜTZ. Videtur hoc artificiosius excogitatum. In aliis locis tollebantur faces, in aliis incendebantur acervi, in utrisque ignis nuntium ferebat.

V. 451. κατάσχιος κλάδοις, ut Suppl. 354. Cf. ib. 656.

V. 453. Pulvis luti frater, ut λιγνὺς κάσις πυρός Theb. 494. Bene pulvis dicitur ξύνουρος vicinus, quia ibi est pulvis, ubi desinit luti humor. — δίψια κόνις, ut Soph. Ant. 246, 429. BOTH. Similis vicinia est v. 1568. — Quaesiverunt interpretes, quomodo pulvis aliquid de oratione a praecone habenda testari possit, et invenerunt hoc in celeritate advenientis pulverem suscitante, quae bona ominetur, quum alioqui lento gradu eum accedere exspectandum esset. De lento vel cito accedentis gradu saepius meditantur

veteres. At hoc loco non de laeto, sed de certo nuntio, sive bono (v. 456) sive infausto (457), dicitur: certitudinem vero ex celeritate coniectare nemo poterat. Itaque haec mittenda sunt et recte perspexit Wellauerus opponi pulverem fumo: ex pulvere quem excitat intelligo eum non uno loco stare, ut ignem accendat, sed accurrere, ut verbis nos certiores faciat. — Probatur hoc alio loco, ubi ipse pulvis dicitur certus et clarus nuntius, licet mutus, *ἄναυδος, σαφὴς, ἔτυμος ἄγγελος* Theb. 82. Ita manifestus ille nuntius designat accedere nuntium, qui manifestis verbis dicturus sit.

V. 454. *σοὶ* spectat orationem chori, opinioni reginae adversatam. Brevius dictum pro: ut tu voluisti. Aegre enim fert regina quae modo audivit a choro (cf. v. 546 — 550). — *φλὸξ ὕλης ὄρεἰας*, incendium silvae montanae, intelligendum videtur de igni forte fortuna in saltu exorto. Poterat enim cogitari in tali casu positam fuisse illam fraudem divinam, quae fallax speculatori signum portendisset.

V. 456. *τὸ χαίρειν μᾶλλον ἐκβάξει*] amplius laetitiam enuntiabit, id, quod tum ipsi tum nobis laetum est, fusius exhibebit.

V. 458. Bene ea, quae nunc audienda sunt, adduntur iis, quae fausto signo apparuerunt.

V. 459 sq. Qui alia optat civitati, ipse fructus insaniae suae percipiat. *καρποῦσθαί τινος*, fructus rei percipere. Prom. 851. Theb. 593. *καρπὸν* et *ἐκκαρπίζεσθαι* fructum procreare. Pers. 821. Theb. 601. Defendit sese chorus his verbis contra id quod accusationis inest in oratione reginae, quum plerumque homines minus optent ea, quae minus credunt.

V. 461. Ingreditur praeco Talthybius, ut in indice et argumento designatum est, missus ab Agamemnone, qui modo in litore advenerat, nuntiaturus accessurum esse regem.

V. 461 — 495. Decimo tandem anno in patriam reversus id saltem adipiscar, ut in natali solo sepulcrum inveniam. Itaque saluto terram, solem, Iovem, Apollinem, nunc utinam ex adversario servatorem denuo factum: omnesque ludorum deos, et in iis Mercurium praeconem, et heroes, qui benevoli iam recipiant exercitus reliquias. Saluto aedes regis cum eius numinibus, quae

laete recipiant regem, qui victor redit, vindex Troiae, cuius solum vastavit, cuius aras evertit, cuius incolas exstinxit: summo dignus honore, quia iustissimam de Paride omnibusque Priamidis vindictam sumsit, tum recuperata Helena, tum eversa urbe.

V. 463. E multis quae speravi, quae me desseperunt, unum adeptus.

V. 465. *μετέχειν μέρος κρατῆρος* Ch. 291.

V. 466. Terra et lux solis salutatae, ut terra et coelum Pers. 499. Laetitiam de solis luce, qua in patria terra fruendum est, vide v. 533.

V. 469. Scamandro terra Troica designatur, ut v. 1080. Ch. 366. Eum. 398.

V. 470. *ἐπαγώνιος*] 'adiuvans in certaminibus ludorum, quod alibi *ἀγώνιος* vel *ἐναγώνιος*. Nihil est *ἀπαγώνιος*, cuius interpretationem *ἀπόμαχος* commentus est scholiasta: profecto non decet Apollinem avertere *ἀγῶνα*, sed ipse et Iupiter cum Mercurio sunt dii *ἀγώνιοι*, qui in certaminibus ludorum victoriam decernunt. Quibus additur Neptunus Suppl. 189, 209 — 221. Neque ad solos ludos respicit horum munus, sed ad omnia negotia, in quibus aliquid certatur. Nullus vero deus haec magis curat quam Mercurius, cuius omnino est munus comparandi et coniungendi ea quae distant vel sibi invicem opposita sunt. Appellant hunc *ἐναγώνιον* Aeschylus fr. 375 (401). Pind. Pyth. II, 10. *ἀγώνιον* Isthm. I, 60. *ὃς ἀγῶνας ἔχει* Ol. VI, 79.

V. 473. *κηρύκων σέβας*] quem venerantur praecones: ut *σέβας ἀστῶν*, quod reverentur cives, Eum. 690. *πᾶσι τοῖς ἐκεῖ σέβας* Soph. El. 685. Propterea Mercurii dicuntur esse praecones Eur. Suppl. 121. Quorum munus ipse honorat Iupiter Eum. 92. Mercurium praeconis patronum in terra peregrina vide Suppl. 920.

V. 474. *εὖ τ' ἔπεμψεν, εὖ τε δεξάσθω* Suppl. 219. — Heroes invocatos vide etiam Suppl. 26. Dioscurorum recordatur Bothius, sed designantur omnes Argivorum reges Danai, Persei, Pelopis posteri.

V. 477. *θᾶκοι*] sellae regis et reginae cf. v. 235. — *δαίμονες ἀντήλιοι, οἱ εἰς ἀνατολὴν ὁρῶντες* Schol. Id quod probatur loco Sophoclis Ai. 805: *οἱ δ' ἑσπέρους ἀγκῶνας, οἱ δ' ἀντηλίους*. — Aedium pariter ac templorum fores versus orientem

solem erant conversae, ut prima statim lux inferatur matutina. Eadem ratione aedes Iovis in Olympo constructas cogitat Homerus Il. II, 48. Ante aedes positae erant imagines deorum, quos eodem vocabulo dixit Euripides: *ἀντήλιοι θεοὶ οἱ πρὸ τῶν πυλῶν ἱδρυμένοι· Εὐρ. Μελαγρῷ.* Aeschylus alibi *προστατηρίους* Theb. 449. Cf. Soph. Tr. 209. El. 637. — Vox *ἀντήλιος* composita ut *ἀπηλιώτης*.

V. 478. *τοιαίδε*] *δεικτικῶς* de tempore: nunc, ut alibi de loco.

V. 479. *κόσμῳ*] *κατὰ κόσμον, κατὰ τάξιν.* Hesych. — *πολλῷ χρόνῳ*, post longum tempus, ut *μακρῷ χρόνῳ* Soph. El. 1273. Longo tempore est *ἐν πολλῷ χρόνῳ* v. 509, 568.

V. 480. Deos hominesque absentia regis contristaverat, utrosque reditus exhilaraturus erat. SCHÜTZ.

V. 484. *μακέλλῃ*] Soph. inc. fr. 767.: *χρυσῇ μακέλλῃ Ζηνὸς ἐξαναστραφῇ.* — *μακέλῃ* Hes. Opp. 468. BOTH. *σπάθῃ.* Schol.

V. 485. Idem fere versus Pers. 811.: *βωμοὶ δ' ἄϊστοι δαιμόνων θ' ἱδρύματα*, Persarum exhibens impietatem. Respicit poeta hoc nostro ea quae monuit Clytaemnestra v. 314., quorum nullam Graecos habuisse curam cernimus.

V. 487. *ξενιτήριον*] Cfr. v. 124.

V. 489 sq. *τίεσθαι — Πάρις γάρ*] Vides honorem summum in eo positum, quod vindictam sumsit Agamemno. Arctissime iuncta est notio vindictae cum honore, id quod ipsa ostendunt vocabula Graeca.

V. 490. *ἀπὸ κοινοῦ τὸ οὔτε λεπτέον καὶ εἰς τὸ Πάρις· συνυπακούεται γὰρ ἐκ τοῦ ἐπαγομένου.* Ita Pind. Pyth. VI, 48. STANL. Cf. Dissen. et vide ad v. 796. — *συντελὴς* dictum videtur pro universa, ut Theb. 253. Alii: culpae particeps.

V. 491. *δρᾶμα τοῦ πάθους*] Cf. v. 1480. Ch. 313.

V. 493. *ῥύσιον*, praeda. Proprie de pignore eo, quod vi occupat aliquis, qui ab altero laesus est, ut hoc pignore restitutionem exigat.

V. 494. *αὐτόχθον'*] cum ipsa terra, ut *αὐτότοκον* v. 127. — *ἔθρισεν*, vastavit, demessuit. Stanl. *ἐθέρισεν*, *ἔκειρε* Schol. *ἀπέθριξε τρίχας* Eur. Or. 128. Ita *ἀπέκειρε* Pers. 921.

V. 495. *διπλᾶ*] tum Helena amissa, tum urbe perdita. — *ἁμάρτιον, τὸν μισθὸν τῆς ἁμαρτίας.* Schol. Eadem vox Pers. 676. Videtur non differre ab *ἁμαρτία*.

V. 496 — 508. Salve, praeco exercitus. — „Sane salveo summa laetitia, qua ne mortem quidem fugio.“ — An patriae amor te vexat? — „Ut lacrimas fundam prae gaudio.“ — Num hunc laetum inferebatis morbum? — „Quomodo hoc intelligam?“ — Respondet tuus amor nostro. — „Itaque patria desiderabat desiderantem exercitum?“ — Ut saepissime prae moerore ingemiscerem. — „Cur tantopere te sollicitabant res exercitus?“ — De periculosis rebus tacere consuevi. — „Num quid metuisti, quum abessent principes?“ — Sane, id quod nunc tu dixisti, mortem mihi optavi. — Qua ratione distribuendi sint hi versus, vide ad v. 243.

V. 497. *ἀντειπεῖν* Prom. 51. — Satis adhuc vixi, quum hoc gaudium obtinui, neque aliquid contra dicam, si iam obitum dii decernunt. Cf. v. 1526.

V. 498. *ἐγύμνασεν*] aoristus de tempore quod vix praeteriit, ut v. 325. Neque enim de longo illo, quod ad Troiam ille sensit, desiderio, dici potest aoristus, et de iis, quae nunc fiunt, omnia dicuntur, quae praecedunt et quae sequuntur. Nunc eum ita vexat amor, ut ne mortem quidem metuat et prae gaudio lacrimas fundat.

V. 500. *ἐπήβολος*, qui alteri admovet aliquid, hoc loco morbum; mentem rei Prom. 444. — *νόσος* de omni infirmitate, vide ad 782. — Num novistis vos intulisse hunc laetum morbum?

V. 504. *ἀμαυρᾶς φρενὸς* de luctu tristissimo Ch. 157.

V. 505. *στρατὸς* nihil esse potest nisi exercitus, vel populus qui arma gerere potest, ut Romae exercitus Servianus. Ita enim Soph. El. 743, de populo ludos spectante. Itaque de senibus, qui domi manserant, qui soli erant patriae custodes, ita ut eius vice loquantur (v. 503. *τήνδε γῆν*, v. 504. *μ' ἀναστένειν*), dicta esse non potest haec vox, sed nonnisi de exercitu Troiam profecto. Huic in cogitationibus senum illorum iunctus est ille moeror odiosus et tristificus; moerorem enim his verbis designat praeco, et miratur, quod eo (*ἀμαυρᾶς φρενὸς*) oppressi fuerint senes. Valde

enim differt hic sensus a desiderio, illoque gemitu infausta potius edebantur omina. Chorus vero cogitat de duplici periculo, quod subierant Atridae cum exercitu, altero in ipsa expeditione, quae non sine crimine erat suscepta, altero domi, ubi ne discordia vetusta suscitaretur, propter idem illud scelus metuendum erat. His cogitationibus deprimebatur eius animus, nec tamen publice eas omnes profiteri audebat. Quum iam interrogaret praeco, num in absentia regum metuerit quospiam: repetit chorus molestissimam sibi fuisse vitam ob hunc metum, eum quidem, ne quid insidiarum pararetur regibus. Reprehendit deinde praeco hanc tristitiam monetque omnia talia nunc esse obliviscenda, quum splendidissima parata sit victoria. Sane enim molestiis vexatum esse etiam exercitum, nunc vero hunc eorum omnium in hac laetitia esse oblitum. — *στύγος*, quod odiosum est et detestabile v. 516., Ch. 991, 1028. Eum. 644. Theb. 653.

V. 506. Tacendum esse aut loquenda ea, quae tempus fert, prudenti homini, saepius docet poeta: Ch. 582., Eum. 278., Theb. 619., Suppl. 203. Quum vero antea libere de his rebus, de periculo discordiae domesticae, in primo cantico dixerit chorus, nunc aliquid adsit necesse est, cur tacendum putet. Adest regina, qua praesente chorus haec exhibere nequit, quoniam orta est quaedam in eam suspicio. Quae quum secundo cantico adesset, nihil de hac re in eo dictum est, nisi levissima mentio *καὶ τῶνδ' ὑπερβατώτερα* v. 394.

V. 508. *τὸ σόν*] *τὸ εἰρημένον ὑπὸ σοῦ, τὸ τεθνάναι* cett. v. 497. Eodem sensu *τὸ σόν* Soph. Ai. 99. Plat. Sophist. p. 233. BOTH. Ceterum aliter de se ipso dictum hoc intelligit chorus quam de praecone: hic nunc prae laetitia mortem non fugiebat, chorus prae dolore mortem optaverat: ut Theb. 703.: *χάρις ἀφ' ἡμῶν ὀλομένων θαυμάζεται.* Cf. v. 1370 sqq. Suppl. 787 sqq. 800. — *ὡς νῦν* cett., ut nunc tuum erat, ut nunc tu dixeras, libenter mortuus essem.

V. 509 — 540. Bene gesta est res. Mala quidem cum bonis cuivis in longo tempore miscentur mortali: perpetua felicitas nonnisi deorum est. Nos quoque multa sumus perpessi tum in navigatione tum in castris in terra hostili positis, ubi nunc rore, nunc tempestate, nunc solis ardore vexabamur,

De his omnibus minime dolendum est, quia praeterierunt: neque lugendum de mortuis, qui ipsi non amplius meditantur de recuperanda vita: nobis, qui superstites sumus, nonnisi laetandum est de hoc reditu, de his spoliis: tibi celebrandi reges et gratiae Iovi agendae. — Exhibet praeco expeditionis molestias, ut choro persuadeat missas faciendas esse curas omnes, quum faustus contigerit eventus, quoniam integra felicitas nemini concedatur. Neque contradicit chorus (v. 541.): redeunt tamen postea curae, quum audita tempestatis narratione compererit punivisse deos impietatem exercitus: ex quo coniectandum est eadem ratione eos in omnem, quam contraxit Agamemno, culpam esse animadversuros. Quae cogitationes, excitatae iis, quae in hoc episodio traduntur, exhibentur in carmine chori v. 639 sqq.

V. 509. Subintelligendum est: haec omnia non sunt curanda, sed laetandum est: id quod in omnibus, quae antecedunt, professus est nuntius. Hanc cogitationem respicit *γάρ*. — Gaudio potius quam tristitiae indulgendum esse suadet etiam Darius: Pers. 840.: *ψυχὴν διδόντες ἡδονῇ καθ' ἡμέραν*. — *ταῦτα*, ea quae adsunt, ea quae contemplamur.

V. 510. Quae vero in longo temporis spatio contingunt, partim laudes, ut quae feliciter eveniant, partim etiam parum probanda [dicas]. — *εὖ λέγειν* cf. v. 409. Ex hoc sumenda est sola dicendi notio in alteram sententiae partem.

V. 511. *ἐπίμομφος* cf. ad v. 135. — Similis cogitatio Pers. 706.

V. 512. *δι' αἰῶνος*, per vitam, Ch. 26. BOTH.

V. 513. *εἰ λέγοιμι* et *εἰ λέγοι τις* v. 521.: duplex protasis, cui nulla respondet apodosis, intelligitur vero id: horum si rationem habeam, tristis esse possim, sed nolo lugere; non est enim lugendum, si recte agis v. 525. — *μόχθους*. His versibus usque ad 515. molestia navigationis, inde a v. 516. molestia castrorum exhibetur.

V. 514. *πάρηξις*, accessus ad terram, velut in Mysia. Hi, qui et breves erant et rari et ita comparati, ut dormiendum esset in agris, pertinebant ad ipsam descriptionem itineris: cuius molestias quum levare debuissent, augebant potius eas mala ipsorum

conditione. Vocem *πάρηξις* sunt qui de *παρόδῳ* (Athen. V, 203.) interpretentur, de foris in utroque latere navium prope remiges. Ita Schol.: *παραδρομὰς ἐπὶ τοῦ καταστρώματος τῶν νεῶν.* Tum vero Aeschylus non potuisset non uti ipsa voce *πάροδος*, ut certo declararet quod vellet. Nec apte addidisset *σπαρνάς.*

V. 515. Quid est, quod non quereremur, quid quod non experti simus diei sortem! De hoc participiorum usu vide v. 169. — *ἤματος μέρος*, id quod unusquisque dies fert laboris. — Nulla fere erat miseria, quin nobis experiendam et querendam ferret dies hic vel ille.

V. 516. In iis autem, quae in continenti terra accidebant, gravior etiam inerat molestia. — *στύγος* v. 505.

V. 518. *γὰρ* in duabus sententiis unam priorem duplici ratione respiciens vide v. 698, 701. WELL.

V. 519. *δρόσος*, ros, de omni humore, quin de aqua marina Eum. 904. Hoc loco tum de pluvia, tum de rore, qui in pratis oritur. Cf. v. 311. Crines hoc rore turbatos queritur chorus Soph. Ai. 1208. BOTH. — *ἔμπεδον*, inhaerens perpetuus; de labore Soph. Oed. Col. 1674.

V. 520. *τιθέντες*, audax structura, quasi respiciens *ὄμβρους* quod latet in *δρόσοι*. Rore campestri enim vix tangebantur crines. Cf. Bernhardy Synt. p. 429. not. 79.

V. 524. Mare dormiens ex illustri Simonidis de Danaë fragmento citat BOTH. — *κοίτη* conditio iacendi. Cf. v. 1369 *εὐνή.*

V. 525. Principalis haec harum omnium cogitatio, tum earum quae antecedunt, tum earum quae sequuntur: non esse lugendum, quia praeterierit molestia.

V. 526. Praeteriit molestia, tum mortuis, ita ut hi nullam amplius reviviscendi curam habeant, praeteriit vivis splendore victoriae. Respiciunt sese *τοῖσι μὲν* et v. 531. *ἡμῖν δέ.*

V. 527. *τὸ μὴ μέλειν* pro *ὥστε μὴ* vide v. 15.

V. 528. Iam quum mortuorum ea ratione meminerit, quod his quoque grata esse debet liberatio a molestiis, quam morte invenerunt: venit ei in mentem causam luctus posse sumi ex hac ipsa tot mortuorum iactura. Cui obiectioni statim respondet, hu-

ius rei rationem non habendam esse ei, qui superstes sit, quum hic certe bona usus sit fortuna.

V. 529. *παλίγκοτος*, adversus. Ineptum est, si is, qui superstes est, de adversa conqueritur fortuna; huic saltem lactandum est de iis, quae sibi acciderint (*χαίρειν ξυμφοραῖς*): quum ei pariter atque cuivis alteri mors accidere potuerit. — *ἀλγεῖν* cum dativo vel accusativo iungi solet, hoc loco cum genitivo, quia fortius dictum est pro *κήδεσθαι*, *ἀλεγίζειν*, tristificam alicuius rei curam habere.

V. 532. *κέρδος*, victoriae et praedae. — *πῆμα*, memoria molestiae. — *ἀντιῤῥέπειν*, ut Pers. 437. *ἀντισηκοῦν*.

V. 533. *τῷδ' ἡλίου φάει*] quod in patria splendet: v. 466.

V. 534. *ποτωμένοις*] qui volaverunt, de victrici et laeto itineris impetu.

V. 535. *ἑλόντες — στόλος — ἐπασσάλευσαν*. vide v. 170.

V. 536. *θεοῖς λάφυρα πασσάλευε πρὸς δόμοις* Eur. Rhes. 180. STANL. Cf. Theb. 278.

V. 537. *γάνος*] quidquid voluptatem affert. Cf. v. 1314. Pers. 483, 615. Gaudent Graeciae dii his spoliis, quae vetusta dicuntur, quia ex vetusto more diis haec debetur gratia.

V. 540. *πάντ' ἔχεις λόγον*] ut *εἴρηται λόγος* Eum. 710. Cf. ib. 192. Soph. Ai. 480. Eur. Or. 1203. BL.

V. 541 — 544. Persuasisti mihi hoc, maius aliquid gaudio quam tristitiae tribuendum esse: quod documentum libenter accipio. Potissimum vero haec ad reginam pertinent: equidem eius felicitatis particeps ero.

V. 541. *νικώμενος*] participium per attractionem positum pro infinitivo, ut *θανοῦσα δ' οὐκ ἀναίνομαι* pro *θανεῖν* Eur. Iph. Aul. 1502. ABRESCH. Eur. Herc. fur. 1235. Cf. Suppl. 59.: *δοξάσει τις ἀκούων* et 813. — *χαίρω ἐν τῷ μὴ ἀντιλογεῖν*. Sch.

V. 542. *ἡβᾷ*] *τοῦτ' ἔστιν ἀκμάζει*. Schol. Tota sententia proverbialis. Cf. fr. 278. *καλὸν δὲ καὶ γέροντα μανθάνειν σοφά*. Solon. fr. 9. (Bruneck.) *γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος*. — Oppositio haec senectutis et iuventutis, ubi de eodem homine dicitur, frequens est, plerumque de viribus aliqua ratione recreatis usurpata Suppl. 775., Theb. 622.

V. 544. *πλουτίζειν*] divitem et beatum reddere. Cf. v. 1188. Schol. *μεταδιδόναι μοὶ τῆς χαρᾶς*. Subiecti accusativus est *ταῦτα*, ut illo etiam loco res quaedam divitem reddunt, non personae.

V. 545 — 570. Exsultavi iam primo excidii Troiae nuntio accepto, atque tum reprehendebatur credula mens muliebris: attamen sacra diis instituta sunt meo iussu. Nunc te non morabor: reliqua ab ipso comperiam marito, quem optime accipiam. Summa enim, id quod tu nuntiabis ei, laetitia eum exspecto: integra servata fide tum in iis, quae servanda mihi commendavit, tum coniugali.

V. 548. *καὶ τίς μ' ἐλίπτων* cett. Meminit sermonis chori v. 438 — 446.

V. 550. *πρὸς γυναικός*] e more mulieris, v. 1552., id quod mulierem decet. — *αἴρεσθαι φόβῳ* Theb. 214. — *ἦγουν γυναικός ἐστι μετεωρίζεσθαι καὶ μέγα φρονεῖν ἀκούσασάν τι.* Schol.

V. 551. *λόγοις τοιούτοις*] talibus orationibus, id est, iis qui haec dicebant. Bernhardy (Synt. p. 102.): ut ex talibus orationibus coniectandum, artificiosior est interpretatio. Neque hunc sensum habet dativus *πτανοῖσιν κυσί* v. 126., neque Ch. 774.: *ἢ φρονεῖς εὖ τοῖσι νῦν ἠγγελμένοις;* sed: num pia est mens tua in iis quae me nunc iubes? — *πλαγκτέ, παράφρων καὶ πεπληγμένα τὴν διάνοιαν.* — *πλαγκτὸν ἀνόητον τὰς φρένας βεβλαμμένον, πλανώμενον.* Hesych. Ita *πλανᾷ* de insania mentis Prom. 473. *παραφορὰ φρενοδαλής* Eum. 330.

V. 552. *ἔθυον*] sacra instituebam: et voluntati meae obtemperabant Argivi, quamvis nonnulli me reprehenderant. — *νόμῳ*, iussu, ut Soph. Ant. 382, 481. Spectat hoc ea, quae chorus dixerat de *γυναικὸς αἰχμῇ* v. 442.

V. 553. *ὁλολυγμὸς* de exclamationibus in faciendis sacris v. 28.

V. 554. *εὐφημοῦντες — κοιμῶντες*] in exstinguendo precantes. De altero participio alterum respiciente v. 161. — Acclamatio fiebat in fine sacrificii, ut recte locum interpretatur Butlerus.

V. 556. *τὰ μάσσω*] quae dicenda habet praeter ea, quae antea retulit, redire Agamemnonem victorem, v. 481.

V. 558. *ἄριστα*] Cogitat iam de splendido illo quo eum exceptura est ornatu v. 840.

V. 560. *φέγγος*] de felicitate, ut *φάος μέγα δώμασιν* de vita Xerxis Pers. 300. Quaenam lux dulcior aspectu est mulieri quam haec, aperire postam, quum e militia virum deus servavit?

V. 561. *ἀπὸ στρατείας — ἀνοῖξαι*] exhibent illa, quae designata sunt per *τούτου* v. 560. Similis locus Eur. Alc. 879: *τὶ γὰρ ἀνδρὶ κακὸν μεῖζον ἁμαρτεῖν πιστῆς ἀλόχου*: ubi genitivi positi in ipso infinitivo, nullo addito articulo; quod nostro loco simili sed faciliore ratione factum: apposita enim est nostra sententia illi *τούτου*. — *ἀπὸ στρατείας*, ex expeditione, e media expeditione, minime post expeditionem, ut Bernh. Synt. p. 222: ubi nihil amplius servandum erat. Eadem est ratio loci Eum. 631.

V. 562. *ταῦτα*, haec, quae sequuntur, quae prodeunt ex iis, quos modo professa est, sensibus.

V. 563. *ἐράσμιος*, amabilis. Simonid. de mulier. 52. Xenoph. Symp. 8, 36. Vox poetis rarius usitata. BL.

V. 564. *εὕροι*, inveniat, utinam inveniat, utinam celeriter veniat, ut inveniat. WELL.

V. 565. *κύων* vide ad v. 3.

V. 566. *ἐσθλὸς* apud Aeschylum plerumque de firmo et ad rem quampiam idoneo, itaque de rebus bonis v. 325, 389, 711. Ch. 147. Suppl. 221. Pers. 222, 248. Soph. Ant. 622.

V. 567. *σημαντήριον*, sigillum positum in iis locis, ubi servabantur divitiae regis. Omnino enim domuum custos erat regina: v. 846. — *σήμαντρον* Eur. Iph. Taur. 1372.

V. 568. *ἐν μήκει χρόνου* Soph. Trach. 69.

V. 569. *ἐπίψογον φάτιν*, reprehendentem famam, malam famam: Nemo quidquam mihi dixit de ullo viro alio, cuius ratione me reprehenderet.

V. 570. *ὥσπερ οὐκ οἶδα τὰς βαφὰς τοῦ σιδήρου, ὥστε οὐδὲ ἡδονὴν ἑτέρου ἀνδρός.* Schol. Recte hoc loco mentionem artis tunc temporis nuper inventae paucisque notae, qua color quidam aeri dabatur, videtur reperisse Welckerus Addit. ad Tril. Aesch. p. 42. not. 6. De vulneribus ferro inflictis nescio quomodo cogi-

tare potuerit aliquis: quae num Clytaemnestrae essent ignota, non magis sciri poterat, quam ipsum adulterium.

Totam si orationis Clytaemnestrae rationem spectas, vides eam diu tacere, dum colloquuntur praeco et chorus, pariter atque Atossa Pers. 249 — 289. Neque Atossam neque Clytaemnestram salutat nuntius intrans; itaque hoc non mirum. Putandum est in altero scenae fine versari Clytaemnestram, in altero praeconem, ut a choro hic propius absit. Accedit coryphaeus ad illum, incipit colloquium v. 496 — 542.; quo finito ad reginam eum accedere iubet chorus, ut cui haec, quae refert ille, sint laetissima. Ita ad dicendum provocata procedit Clytaemnestra, refutat primo quae antea chorus sibi reprehenderat, deinde dicit de gaudio suo, dicit de fide sua bene servata. Et gaudium et fidem mentitur, id quod ipsa postea profitetur, dicit ea tantum, quae temporibus commoda habet (v. 1294), celans consilium diu contra salutem regis paratum. In his mendaciis tempestivis id optime a poeta institutum est, quod de suo tantum gaudio, de sua fide dicit: de quibus omnino non dubitandum erat inter honestos: nihil vero omnino quaerit de conditione habituque coniugis: sed differt haec in aliud tempus (556). Itaque tota eius oratio composita est e iactatione, quae si vera, ut videtur praeconi (571), non reprehendenda est, cui tamen non magnam chorus videtur habere fidem: qui quum aliquid de hac oratione dicturus sit, iudicii vel laudis loco nihil profitetur, nisi satis perspicue reginam esse locutam. Ex his apparet dissensionis aliquid mutuaeque improbationis et suspicionis ortum esse inter chorum et reginam, quae post regis necem vertunt in rixam manifestam. Choro communis populi Argivorum sensus designatur. Tamen semper hae chori cogitationes nihil sunt nisi suspicio: suspicatur tantum crimen reginae, certi nihil novit; id quod ex omnibus locis patet, quibus postea de hac re dicit (v. 907, 994, 927, 955), quibus tum ea miratur quae praedicit Cassandra (1037, 1055, 1166), tum summus terror ei iniicitur audita vaticinatione de morte regis (1168) et postea audita ipsa morte (1266 sqq. 1541).

V. 571. κόμπος] de quavis oratione superba Prom. 1031. Theb. 425.

V. 572. Abire reginam post hunc versum, qui quasi comi-

tetur eam, statuunt interpretes. Sane abit, ut praeparet illum ornatum, quo Agamemnonem excepturà est. Probabile est etiam eam nunc abire, quum nihil amplius scire se cupere dixerit v. 556. Tamen non certo hoc contenderim, quum id sane constet, multò securiorem eam esse posse in parandis nunc statim insidiis, si Menelaum non redire cognovit. Cogitari potest eam prope manere in scena usque ad huius episodii finem, mandantem fortasse servabus nonnulla muta actione.

V. 573. *μανθάνοντι*, audienti, comperienti. Nihil amplius in voce inest, nihil de intelligendo eo, quod obscurius dictum est. Nudo illo sensu interdum sententiae additur, ut abundare videatur, velut *Περσικὸν πρέπει μαθεῖν* Pers. 247. Itaque minime hoc loco eius sensus esse potest: tibi, si tu haec intelligis. Nam noluit profecto Clytaemnestra dicere de rebus suis homini intelligenti, qui fidus erat Agamemnoni, noluit magis etiam dicere intelligenti ita, ut perspicua sit oratio.

V. 574. *τοροῖσιν ἑρμηνεῦσιν εὖπρ.*] ita ut decet claros interpretes, omnino perspicue. Sententiam tibi summa perspicuitate exhibuit regina. Quod in his artificium ironiae a choro detectum volunt interpretes, id neque inest in vocabulis, neque ferri potest, quum de adulterio nemini quidquam sit certum et perspicuum. Itaque haec nihil significare possunt, nisi: tam multa, tam insignia locuta est regina, ut eius sententiam clare possis perspicere. Videtur quidem ipse chorus dubitare de veritate eorum, quae professa est illa: praeconi vero nihil de hac dubitatione dicit. — *ἑρμ. τοροῦ* vide v. 982. De verbis clare exhibentibus has voces interpretatur Bernh. Synt. p. 128. At interpres est homo, non vox.

V. 575 — 593. Dic vero, praeco, num vobiscum redeat rex alter Menelaus? — „Pulchri mendacii brevem existimo fructum.“ — Dicas, si potes, fausta ea quae vera sunt: disiuncta haec haud facile celantur. — „Subductus ille est nobis cum navi.“ — Utrum discessit manifesto a Troia, an tempestate, quae omnes vexavit, abreptus est? — „In his verum invenisti, breviter designans longum laborem.“ — Numquid de eo comperistis ab aliquo navigatore? — „Certi quidquam nemo de eo novit nisi Sol.“ —

Num tempestas classi missa infaustum per iram divinam habuit finem?

V. 575. *Μενέλεων δέ*] quia v. 481 solius Agamemnonis mentionem fecerat praeco. — *δὲ* explicativum.

V. 577. Huius terrae carus princeps. Non Graeciae, ut Stanleio videtur, sed Argivae. cf. ad v. 3; *κράτος γῆς* dictum ut *κρ. Ἀχαιῶν* v. 108.

V. 578 sq. Non possum dicere mendacia ita, ut pulchris iis longo tempore utantur amici. *καρποῦσθαι* fructum percipere v. 460.

V. 580. Quomodo tunc poteris recte dicere ea quae vera sunt ita, ut fausta sint? Dicas, si poteris, vera de Menelao quae eadem fausta sint. *πεδνὰ* v. 236.

V. 584. *ἀνάγεσθαι* proficisci in altum mare. — Quaerit chorus, utrum aperte et consulto solvens a Troade ab iis discesserit, an tempestate disiectus sit? SCHÜTZ.

V. 591. *χθονὸς φύσιν*, telluris genituram: haec enim nutritur sole. Minime *περιφραστικῶς* dictum pro *χθόνα*. — De sole eandem e Sophocle cogitationem affert Blomf. Oed. Tyr. 1425: *τὴν πάντα βόσκουσαν φλόγα Ἡλίου*.

V. 594 — 610. Nefas est malo nuntio polluere faustum diem. Eum nuntium, cui clades multorum civium bello accepta referenda est, magis deceret haec calamitatis enarratio, quam me, qui laetas felici civitati nuntio res: quibus nunc admiscenda sunt infausta: tempestas, quam excitavit ira deorum, qua ignis et mare coniurabant contra Argivorum classem.

V. 594. *εὔφημον ἦμαρ*, dies in quo fausta nuntiabantur.

V. 595. *χωρὶς* cett.] *ταῦτα λέγοντες ἀτιμάζομεν τοὺς θεούς*. Schol. Ita Soph. Oed. Col. 808; *χωρὶς τό τ' εἰπεῖν πολλὰ καὶ τὸ καίρια*. Ita *δίχα* v. 1291.

V. 596. Talia enim sunt haec mala, quae enarranda habeam (602, 603), qualia quando dolorem detestabilem fert cett.

V. 597. *πτώσιμος*, lapsus, v. 1047. *πτῶμα* de clade bellica Suppl. 662. Prom. 919. — *πήματα πτ. στρ.* luctum de lapso, id est debellato exercitu fert nuntius. Huic cogitationi *πήματα* appositione iunctum est *πόλει — τυχεῖν*.

V. 598. ἕλκος vulnus Theb. 388. ἓν τὸ δήμιον, unum publicum, commune populi. Ita εἰς πολὺς ὑμνοῖτο Theb. 6.

V. 599. Uni civitatis ulceri opponuntur multae singulorum civium caedes: quae duplex calamitas significatur v. 600: διπλῇ μάστιγι. BOTH. ἐξαγίζειν proprie piaculi causa expellere vel exstinguere, deinde omnino delere. ἐξορισθέντας. Schol.

V. 600. διπλῇ μάστιγι] ut διπλῆς παρὰ γνης de duplici calamitate Ch. 375. Cf. Soph. Ai. 242. BLOMF. Patet e Sophoclis loco saepe in usu fuisse flagellum duplex.

V. 601. δίλογχον] Similitudo sumta de more Homerico gerendi duas hastas. — ξυνωρὶς vel quod arctissime iungit (compes, ut Ch. 982), vel quod ita iunctum est. Duplicem hanc calamitatem, et publicam et privatam, unaquaeque affert bellica clades.

V. 602. μέντοι] profecto, exhibens oppositionem. — πημάτων respicit πήματα v. 596.

V. 603. τόνδ', quem postea exhibebo: v. 608 sqq. — Paean Furiarum, lamentatio de infortunio a Furiis parato. Ita παιὰν τοῦ θανόντος lamentatio de mortuo Ch. 151; Theb. 868, ubi idem etiam ὕμνος Ἐρινύος appellatur v. 867. Cf. Ag. 921. Ch. 475. A quo differt carmen, quo ipsae Furiae Orestem incantant Eum. 331.

V. 604. εὐάγγελον minime substantivum, sed arte iungendum cum ἥκοντα, qui laete nuntians salvas res venit.

V. 606. Dicendum erat πῶς πρέπει συμμίξαι κ. τ. κ. λέγοντα cett. Quod in vivida et concitata oratione mutatur in directam orationem. — κεδνὰ v. 236.

V. 607. οὐκ ἀμήνιτον θεοῖς] ut v. 593 δαιμόνων κότῳ. Notum ex Odyssea excitari has procellas a Minerva, de pollutis et vastatis templis irata, cuius consilium cum Neptuno habitum exhibet Euripides initio Troadum. Od. I, 327; III, 135, 145; IV, 502; V, 103. Causam in templis vastatis positam satis designavit Aeschylus v. 313 — 322 et 485.

V. 608. Cf. Eum. 127 ὕπνος πόνος τε κύριοί ξυνωμόται. BL.

V. 609. πῦρ de fulmine, quod dicitur πυρὸς βόστρυχος Prom. 1044. — τὰ πιστά, foedus fidum, ut Eum. 673. et manifestabant servatam fidem perdendo misero Argivorum exercitu.

V. 611 — 638. Noctu orta tempestas collisit naves, quae fractae perierunt, ut mane repletum esset mare corporibus et tabulis. Nos cum nave servavit deorum aliquis, ut bona usa fortuna neque aestu haec frangeretur neque saxis iniecta rumperetur. Ita salutem vix speratam adepti meditabamur de tristi exercitus clade. Ex illis vero si quis superstes est, nos hi perisse putabunt, pariter ac nos illos. Utinam bene haec vertant. Menelaus quidem proxime veniet, si favore Iovis servatus est. Haec vera audivisti.

V. 611. *δυσχύμαντα κακὰ* audacter dictum pro *δύστηνα κυμάτων κακά*. STANL.

V. 612. *Θρῄκιαι* v. 173.

V. 613. *κερότυπεῖν*, rostro ferire, id quod describitur Pers. 410.

V. 614. *κυφώς*, procella, Suppl. 560. Soph. Ant. 418. — *ζάλη*, turbo, tum imbris, tum undae (623), tum ignis (Prom. 381).

V. 615. *στρόβος*, id quod circumagitur et torquetur, hoc loco de impetu, quo feruntur naves, alibi de zona, Suppl. 457. — Improbus pastor diciter ventus, ut qui huc illuc dissipat naves, quae sibi ducendae erant.

V. 617. In mari apparent mortuorum corpora ut flores sparsi per pratum. Plerumque res quaepiam eo efflorescere dicitur, quod ipsa insigne procreavit: velut *κωκυτοῖς ἐπανθίζειν* Ch. 150. *ἐπανθήσαντες πόνοις δόμους*, malis florere facientes domus Theb. 952. Cf. Ch. 1019. Hoc loco de iis quae in ponto apparent, ipso tamen auctore. Inde plenitudinis notionem videtur obtinuisse id eoque iunctum esse cum genitivo. Bernh. Synt. p. 168. — Versus citatur in libello de barbarismo, quem Valckenaerius una cum Ammonio edidit p. 197.

V. 619. *ἀκήρατον σκάφος*] salvo et illaeso alveo.

V. 620. Deorum aliquis Agamemnoni favens vel dolo vel precibus subduxit eius navem e potestate eorum numinum, quae omnibus Graecis erant infensa. — Prius *τις* dictum de gubernatore in universum, altero verd versu huic addit non hominem, sed deum quempiam fuisse hunc gubernatorem.

V. 622. *ἐφέζετο* cum accus., ut *ἐφημένῳ* Eum. 409, 446. — *θέλουσα*, libens, ut Suppl. 144. Choeph. 19. WELL. — *σωτὴρ τύχη* pro *σώτειρα*, ut *εὐπραξίας σωτῆρος* Theb. 225.

V. 623. *ἐν ὅρμῳ*] In statione maris.

V. 624. Bene locum Od. V, 544 comparat Both., ubi describitur litus rupibus obsitum, — *κραταιλέῳ πέδῳ* Eur. Electr. 834. BL.

V. 626. *λευκὸν κατ' ἦμαρ*] claro et sereno die, ut est post tempestatem. Nihil de salute in voce *λευκόν*, quae quod Pers. 301. laetitiam designat, id ex sola sumtum est felicitatis et diei sereni similitudine. — *οὐ πεποιθότες τύχῃ, οὐ θαῤῥοῦντες, ἀλλ' ἀμφίβολοι ὄντες, εἰ ἔτι σωθείημεν.* Schol.

V. 627. *ἐβουκολοῦμεν*] *ὥσπερ ἐθεραπεύομεν ἐν λογισμοῖς τισι τὴν νέαν συμφοράν.* Schol. *βουκολούμενος πόνον*, laborem mente volvens, de eo meditans Eum. 78.

V. 628. *διασκεδασθέντος δίκην σποδοῦ.* Schol. Ita *κατασποδεῖσθαι* Theb. 809. BOTH.

V. 632. Utinam in his, quae de iis quos abripuit tempestas, nunc speramus, nunc metuimus, ea eveniant, quae faustissima sunt. Cf. Ch. 782; *γένοιτο δ' ὡς ἄριστα σὺν θεῶν δόσει*: et ad v. 116. — Piae huic sententiae iam statim additur id quod sperat, exspectandum esse Menelai adventum neque diu eum abfore: quum nihil eum nisi tempestas illa retineat. Quanquam enim multos interiisse putamus, de quibus hoc incertum est; de Menelai interitu omnino non cogitamus, confisi Iovi generis conservatori. Quum vero post optatum illud statim hanc spem laetam quasi certam enuntiaverit, recordatur postea posse ei aliquid accidisse: itaque pergit; reditus sane sperandus est, si modo vivit; vivere vero eum sperandum est, quia Iovi potest confidi. In his omnibus nihil turbatum est, sed alacriter procedit oratio, neque ad regulas logicas descriptae sunt sententiae, sed ita ut ex ipsa mente oriuntur.

V. 635. *βλέπειν* vivere Choeph. 844., ut *βλέπειν φάος* Ag. 1562. — *μηχαναῖς* vide ad v. 248.

V. 636. *οὔπω* cett.] Quodvis regium genus Iovi carum est, quia omnia a Iove originem repetunt; itaque si cui irascuntur reliqui dii, servat tamen ille sobolem; vel si diu quis vexatur, tandem Iupiter eum a molestiis liberat. Cf. Od. IV, 755. Abit praeco, regi, qui in litore mansit, relaturus mandata Clytaemnestrae (562 sqq.). Nunc demum solus conspicitur chorus, vacuum est proscenium, primique actus finis.

Stasimo secundo v. 639 — 714 exhibetur, quomodo laetitia ea, qua Helenam exceperint Troiani, verterit in luctum de caesis civibus; saepe ita mutari felicitatem in calamitatem: atqui nusquam ibi, ubi nullum comissum sit crimen. Altero vero crimine progigni alterum: neque unquam ibi deficere iustitiam ultricem. His in ipso carmine exhibitis, deinde in anapaestis accedentem Agamemnonem chorus salutat (v. 715 — 741) pio quidem et fido animo, sed minime exsultans de victoria: scilicet quia curis de hoc fortunae fastigio sollicitatur, quum haec etiam domus minime libera sit a crimine. — Itaque quum antea oratione sua choro fere persuaserit praeco obliviscendum esse omnis tristitiae in splendore victoriae, nunc audita tempestatis descriptione, qua tam severe deos animadvertisse in Graecos intelligitur, redit chorus ad opinionem contrariam, domum versari in summo periculo, neque posse has curas oblivioni tradi, quia superba sit tam iactabunda laetitia; quae quam facile in miseriam mutetur, ex ipsa Troiae fortuna appareat. Quae cogitationes hac ratione in carmine sunt adornatae. Primis strophis exhibetur Helena fugiens et vindices excitans (v. 639 — 651), Troiae laetitiam et calamitatem parans (652 — 664); secundis similitudo leonis, qui forte ab homine educatus, catulus iocose ac blande ludit (665 — 673), adultus clade domum implet (674 — 682); tertiis voluptas Veneris, quae eadem blanditia initio Troianos cepit, postea a Furiis in miseriam mutata (683 — 692), chorique sententia, ibi tantum infortunium nasci e fortuna, ubi crimen sit commissum, securam esse iustae domus felicitatem (695 — 702); quartis denique scelera e sceleribus orta certam paratura perniciem (703 — 708), in qua splendet iustitia probans proba, aspernans divitias improbe partas, omnia gubernans et decidens (709 — 714).

V. 639 — 651. Unde nomen accepit Helena aptissimum — num a numine quopiam, quod fata perspexit? — aptissimum, quia sane destruxit naves, viros, urbem fuga sua, cuius vestigia multi secuti sunt vindices.

V. 639. ἐς τὸ πᾶν ἐτητύμως] prorsus vere, omnino ita ut ea, quae evenerunt, id probarent. εἰς τὸ πᾶν, omnino Eum. 900. BOTH.

V. 640. Num deus quispiam ei hoc nomen indidit, qui rei

cuiusque naturam, itaque ea, quae ex ea proventura sint, perspicit? — ὄντιν' οὐχ ὁρ., minime deus aliquis omnino ignotus; sunt scilicet, qui hic quoque de mystico illo deo ignoto somniaverint; sed deus quispiam, quem nemo ibi aspexit, quia aspici noluit: haec enim est deorum potentia, ut nolentes a nemine agnoscantur, qua ne Circe quidem caret, quoniam dea est: Od. X, 173.

V. 641. ἐν τύχᾳ νέμων] ita gubernans, ut id diceret, quod iustum erat, ut rem acu tangeret.

V. 642. δορίγαμβρος, cuius nuptiae bellum parant. — γαμβρὸς de omni affini nuptiis parto, de fratibus mariti v. 657, de fratre uxoris Soph. Oed. Tyr. 10, de genere Eurip. Iphig. Aul. 986. — Ita quibus Helena nubit quasi affinis redditur hasta bellica. — πρεπόντως, manifesto, ita ut clare res appareret.

V. 643. ἑλέναις quae naves perdit. Simile compositum ἄναες Per. 680. Primo loco posita est haec sententia, quia haec ipsa nominum similitudo fato divino hanc, quam praeco descripsit, tempestatem significare videtur. — ἑλέπτολις, nomen notissimae machinae quam in obsidione Rhodi composuit Demetrius Poliorcetes. — [Existimare possit aliquis hoc quoque loco machinam significari. Probabile tamen Demetrium illud nomen ex hoc ipso Aeschyli loco derivasse. Et profecto machinam illam Plutarchus narrat καὶ θάμβος καὶ χάριν τῇ ψυχῇ παρέχειν, ut eum de Helena cogitasse existimes. F. I.]

V. 644. ἀβρότιμος, ut ἀβρόπλουτος Eur. Iph. Taur. 1148, cui est elegantiae honor.

V. 645. προκαλύμματα, velamina, quibus ianuae obtendebantur, quae alibi παρακαλύμματα. SCHÜTZ. Mirum est, quod nulla horum velaminum mentio apud Homerum reperitur, ubi nihil claudit cubicula, nisi ipsae ianuarum valvae. Patet tamen voces προκαλυμμάτων ἀβροτίμων referenda esse ad rem quampiam in aedibus Atridarum splendore insignem. Iam si quaeritur, cuinam loco haec velamina sint aptissima, nomini non potest venire in mentem thalamus cum toro geniali, quem omni ratione opertum tectumque fuisse consentaneum est. Itaque in his: ἐν τῶν ἀβρ. προκ. ἑπλ., idem dictum est, quod brevius in illo ἰὼ λέχος καὶ στίβοι φιλάνορες, o torus et fuga! v. 379. In hoc thalamo saepissi-

me commorantur reginae: ex eodem egreditur Atossa Pers. 160. Sollemni nomine haec velamina a posteris vocabantur *παραπετάσματα*, pendentia ab interiore ianuae parte. Cf. Polluc. X, 7, 32 ibique Aristophanem; Sagittar. de ianuis vett. c. 24.

V. 646. *Ζεφ. γίγ.*] Zephyri ingentis flatu. Zephyrum gigantem dicit Aeschylus, pariter ac Typhon, terrae filius, ei idem habetur, qui ventus Typhon australis (Prom. 354 et Suppl. 560). Minime vero ad genus Gigantum referendus est Zephyrus, sed desumtum nomen de vi immani ventorum. Ceterum recte Schol.: *ἐξ ἑσπέρας γὰρ πνέων οὔριος τούτῳ γέγονε.* — Et de altero Hesychius: *Γίγαντος, μεγάλου, ἰσχυροῦ*: hunc locum spectans. Ita *γίγας* de Capaneo Theb. 424.

V. 647. *πολύανδροι*: ita Persae *πολύανδροι* Pers. 533, qui densis progrediuntur ordinibus. Notioni gentis Persarum et cohorti Graecorum additur epitheton *πολύανδρος*, quod plurali numero positum, quia pro gente et cohorte ipsi illi singuli nominantur, notione tamen arctissime iuncti. — Multique viri scutis armati venabantur secundum vestigia eorum, qui navem non amplius visam appulerunt ad litora Simoentis foliis virentia, in rixae cruentae gratiam.

V. 648. *κατ' ἴχνος*] vestigia sequentes, ut Suppl. 538 *εἰς ἴχνος* de vestigiis Ius, quae conversa regione legunt Danai filiae. — Ad *κυναγοὶ* intellige *ἦσαν*. — Navis dicitur *ἄφαντος*, quia nimis longe praecesserat per mare, ita ut cerni non amplius posset, poterat vero de eo audiri. — *πλάταν* pendet a *κελσάντων*. Quod vulgo iungunt *ἴχνος ἄφαντον* et *πλάταν κελσάντων*, id incommode fit, quia nimis disiecta sunt haec.

V. 649. *κελσάντων*, Paridis et Helenae, qui diu advenerant Troiae, quum suscepta est expeditio Graecorum. — *κέλλειν ἐπὶ* ut Eum. 10.

V. 651. *δι' ἔριν αἱμ.*] iungendum cum *κυναγοί*.

V. 652 — 664. Troiae verae necessitudinis calamitatem intulit ira effectrix, laesam hospitalitatem ulta in iis, qui superba laetitia nuptias celebraverant. Quarum carmina urbi Priami mutata sunt in lamentationes de Paride et effuso civium sanguine.

V. 652. *κῆδος* duplici sensu, et affinitatis et curae. Quum affinis iis facta sit Helena, effecit curam et luctum. *κῆδος* de lu-

ctu Choeph. 469; Theb. 984; de affinitate Suppl. 330. — τελεσίφρων, quae aliquam rem efficiendam curat. Quae res hoc loco ea est, ut omni sensu expleatur et efficiatur illud κῆδος.

V. 653. μῆνις, ira de iure quopiam laeso et adhuc inulto. — τραπέζας v. 371.

V. 654. ξυνεστίου, qui honoris in foco tributi particeps est, ut eius honor una cum hoc offendatur.

V. 655. πρασσομένα iunctum cum duplici accusative ἀτίμωσιν et τίοντας, ulta laesum honorem in iis, qui nimis extulerant illum cantum. Cf. v. 744. — νυμφάτιμον μέλος, carmen nuptiale sponsam celebrans. Cf. Prom. 555. Cui appositum est ὑμέναιον. — τίειν, magni facere, ut v. 688, 874. — ἐκφάτως, nimium. Decebat eos, si restitutionem Helenae a Paride exigere nolebant, improbare tamen facinus ipsum. Quod minime fecerunt, sed superba laetitia celebraverunt nuptias, itaque culpae participes facti sunt.

V. 656. ἐπιῤῥέπειν, contingere, sensu intransitivo, ut v. 966. Transitivo v. 226.

V. 657. γαμβροῖσιν, affinibus, fratribus mariti Helenae, filiis Priami. Fratrum sponsi et sponsae sororum hoc est, canere hymenaeum, ut in loco Promethei. De voce γαμβρὸς vide v. 642. His vero Priami filiis omnis urbs Troia repraesentatur, quae eadem illa sentit, quae ab his enuntiantur.

V. 658. μεταμανθάνειν, dediscere rem, ut novum aliquid eius loco discatur; umlernen.

V. 660 sqq. Vetusta urbs Priami cantum lamentabilem graviter plangit, clamitans infaustum sponsum Paridem quavis vice, sane lamentabilem vitam de tristi civium sanguine perpessa.

V. 661. κικλήσκειν de clamitando nomine aliquo, tum in precibus (Suppl. 212, 217; Eum. 508), tum in planctu (v. 1398), ut hic. Cum hoc vocabulo iungendum est πάμπροσθε, idem quod πάντως πρόσθε. Quavis vice, qua de calamitate lamentatur civitas, clamitat Paridem calamitatis auctorem ante ipsam calamitatis mentionem. Id quod exhibetur in oratione Cassandrae v. 1079 — 1083. Alia huius moris exempla sunt vocatio Helenae ante mentionem stragis ab ea paratae v. 1376, Clytaemnestrae ante mentionem scelerum in Agamemnonem commissorum Choeph. 429, Xer-

xis ante mentionem cladis Persarum Pers. 918. — *αἰνόλεκτρος*, ut *αἰνόγαμος* Eur. Hel. 1130. BL.

V. 665 — 673. Ita leonem homo quidam nutrivit, catulum mitem, hilarem erga liberos et parentes, saepe in brachiis portatum, amice blandientem, ut cibum sibi pararet.

V. 666. *ἀγάλακτον*, sine lacte. Duplex est huius vocis sensus, tum is, quo hic posita est, tum idem qui vocabulo *ὁμογάλακτος*, *ὁμόθηλος*. Hesych. Sunt qui nostrum quoque locum ita explicuerint: at ineptum est dicere leonem et hominem eadem lacte nutritos. Imo non lacte amplius alebatur, quanquam tenerae adhuc aetatis (*φιλόμαστον*), ut lacte opus esset, sed cibo manibus porrecto (673). Ceterum locus, quo posita est vox *ἀγάλακτος* docet eam designare rationem nutriendi, nec de eo eam posse intelligi, quod catulus forte a matre depulsus repertus sit ab homine: quod obscurius significatum esset.

V. 667. *οὕτως* similitudinem introducit, ut *οἷος* v. 369. — *φιλόμαστον* teneram aetatem designat, ut v. 132.

V. 668. *προτέλεια* (v. 65), ea quae fastigium aetatis, iuventutem, antecedunt.

V. 669. [*εὐφιλόπαις*, probe amans pueros, cum pueris omnino blande versans, *der recht zuthulich ist mit den Kindern*. Eiusmodi sensus necessarius propter sequens: *γεραροῖς ἐπίχαρτον*. V. C. F. R.]

V. 670. *γεραρός*, senior, antiquus comparativus, ut *νεαρός*. Legitur Suppl. 667. Eurip. Suppl. 42. Il. III, 170., ubique de eo, qui vel senectute vel dignitate inter alios excellit. Deinde novus huius ipsius formatur comparativus *γεραρώτερος*, Il. III, 211. Alia derivationis ratio est eorum vocabulorum in *-αρός* terminatorum, quae originem repetunt a verbis in *ἀω*, neque inest in his quidquam notionis comparativi.

V. 671. *πολέα*] saepe, accus. plur. pro adv. Generis neutrius forma *πολέων* in genitivo est in loco Sophoclis designato ad v. 666. Forma *πολεῖ* gen. masc. Suppl. 745. Alia collegit Matth. Gr. §. 123. — *ἔσχ'* iungendum cum *δίκαν*: habebat id quod iustum est infanti, habebatur et tractabatur ratione ea, quae iusta erat infanti. Ita Choeph. 990: *ἔχει γὰρ αἰσχυντῆρος δίκην*. Cf. Ag. 911.

V. 673. φαιδρωπός] arridens, laete aspiciens manum, quam sibi cibum daturam esse sperabat. — γαστρὸς ἀνάγκη de fame intelligendum, quae mansuetum eum manere iubet, donec suo robore cibum sibi parare poterit.

V. 674 — 682. Adultus vero ostendit mores nativos: educationis gratias agens pecudes devoravit, caede perturbavit domum: divinitus sacerdos calamitatis in aedibus nutritus.

V. 674. χρονίζεσθαι, aetate vel tempore proferri vel provehi, tum de tardando, tum de provehendo in aetatem adultam. Illo sensu Theb. 54.

V. 675. πρὸς τοκήων] quod accepit a parentibus, quod erat parentum. πρὸς γυναικός v. 550.

V. 677. Vulneribus oves occidentibus epulas iniussus paravit. ἀγὴ vide not. crit. Eadem voce utitur poeta Pers. 425 de fractis remis.

V. 678. ἀκέλευστος] non ut antea, quum eo contentus esset cibo, quem iussus appositum accipiebat.

V. 679. αἵματι pro φόνῳ, ut v. 663.

V. 682. Sacerdos calamitatis is, qui eius officia explet, eius nomine agit, ut sacerdos nomine dei hostias mactans. Ita Calamitatem sese ipsam appellat Cassandra v. 1179. Comparant interpretes Ἐρινύος κλητῆρα Theb. 574; Ἅιδου μητέρα Ag. 1156. Ἐνέρων ἕρκαι Eurip. Orest. 261. — ἐκ θεοῦ. A diis missa est haec perturbatio mentis, qua leonem homo exceperat, parum de eo cogitans, quod adultus non idem acturus esset, quod catulus. Cf. Soph. Antig. 622.

V. 683 — 692. Eadem ratione Troiam venerunt hilaritas, divitiae, venustas, amor. Quod nuptiale festum in calamitatem mutavit perniciosa Furia missa a Iove hospitali.

V. 683. παρ' αὐτά] prope haec, iuxta haec, i. e. similiter. Alii statim: quae significatio verbi huc non pertinet. BOTH. Illo sensu dictum Eurip. fr. XL. VII, 5. Altero παραυτά, nostro sensu παρ' αὐτὰ scribendum.

V. 684. φρόνημα cett.] animum statu tranquillo et placido compositum. γαλήνη minime de inerti tranquillitate, sed de laetissimo maris nullo vento agitati adspectu. Quam propterea splendidam dicit Eurip. Danaes fr. IV, 7 (Ddf.): λαμ-

πρᾷ γαλήνῃ. Et γαληνίζειν φρένα Eur. fr. XLVII, 4. — Hoc loco dictum de gaudio, quo a Troianis recipitur Helena.

V. 685. Luxuriosum ornamentum divitiarum. Alludit poeta ad eas divitias, quas una cum Helena Menelao eripuerat Paris, quas saepissime memorat Homerus, quibus nunc quasi ornata Troiam ingreditur Helena.

V. 687. ὄμμάτων βέλος hic de telo oculos feriente, non ex oculis misso. Adspectus Helenae omnium oculos et animos quasi ictu afficit, at molli tamen.

V. 687. δηξίθυμος] Ita δακέθυμος Soph. Phil. 705. Ita δάκνειν apud Homerum de dicto, quod suscitat ad agendum. καρδιόδηκτος v. 1372. — ἵρωτος ἄνθος, amor vigens, vivus, florens. Ita ἥβας ἄνθος Suppl. 663.

V. 688. παραυλίνουσ'] deflectens, statum felicitatis et laetitiae. Cf. v. 425. Soph. El. 488 sqq.

V. 689. Malam Furiarum societatem vide v. 1107 sqq. 1481. Idem dictum de genio sceleris, ἀλάστορι, Suppl. 414 sqq. 650.

V. 690. Πριαμίδαισι producta prima syllaba e more epicorum. Brevis eadem videtur v. 495: dubia Choeph. 935.

V. 692. νυμφόκλαυτος] deflenda sponsis, quorum cantus vertit in planctum, v. 658.

V. 693 — 702. Vetus dictum fertur inter homines, magnam felicitatem nunquam manere sine liberis, parere semper calamitatem. A quorum opinione equidem dissentio. Scelus quidem plura progignit, eaque sibi similia: iustae ac probae domui felicitatem semper progignit felicitas.

V. 693. Sententia ut Soph. Trach. init. λόγος μέν ἐστ' ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανείς. γέρων λόγος ut τριγέρων μῦθος Choeph. 314; γέρον γράμμα fr. 316 (305); γέρων φόνος Ch. 805).

V. 694. τελεσθέντα] perfectum, ad summum fastigium perductum.

V. 697. Sententiam hanc vetustam sine improbatione profert Pindar. Pyth. III, 105: ὄλβος οὐκ ἐς μακρὸν ἀνδρῶν ἔρχεται, πολὺς εὖτ' ἂν ἐπιβρίσαις ἕπηται. Cf. Theb. 769 sqq.

V. 698. δίχα, diversae rationis. Cf. Soph. El. 547: σῇ; δίχα γνώμης. μονόφρων, singularis sententiae. οἰόφρων, singularis, solitarius, Suppl. 795.

V. 699. Longius exhibetur haec cogitatio v. 703 sqq. Cf. Eum. 534. Suppl. 104.

V. 701. *αὐθύδικος*, qui iustitiae regula gubernatur. Eum. 312.

V. 702. Sententia eadem quae Eum. 535: *ἐκ δ' ὑγιείας φρενῶν ὁ πᾶσιν φίλος καὶ πολύευκτος ὄλβος*. ib. 550: *ἀνάγκας ἄτερ δίκαιος ὢν οὐκ ἄνολβος ἔσται*.

V. 703 — 708. Scelere progignitur scelus iustoque tempore pernicies, invictus genius ultor, terribilis domestica calamitas apparens parentibus. — Eadem haec brevius dicta Pers. 821: *ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν ἄτης, ὅθεν πάγκλαυτον ἐξαμᾷ θέρος*. — Scelus ab altero commissum excitat alterum, ut contra sese novum committat scelus, quo sibi pernicies paratur. Iusto tempore committitur hoc novum scelus, quia ita gubernantur res a diis, qui semper aptissimum tempus eligunt (vide v. 340).

V. 703. *φιλεῖν*, solere Suppl. 769; Pers. 600. Soph. El. 320. — *νεάζουσαν*, novantem, recens molientem. Hoc transitivo sensu sine dubio dicta est vox Suppl. 104: *ἰδέσθω δ' εἰς ὕβριν βρότειον, οἷα νεάζει πυθμὴν δι' ἐμὸν γάμον τὸ θάλλος*, adspiciat scelus humanum, quomodo frondem recens emittat radix in mearum nuptiarum gratiam. Ut ibi scelus cum arbore comparatur, quae frondes singulas, singula facinora scelesta, recens emittat, *νεάζει*, ita hoc loco dictum *νεάζειν* de evocandis iis, quae e scelere oriuntur. Scelus gignit alterum scelus; alterum hoc scelus iusto tempore evocat vindictam, infestum lumen, improbum genium, perniciem. Apud Sophoclem intransitiva est huius vocis vis: Trach. 144. Oed. Col. 374. Quam si quis hoc etiam loco agnoscere malit, per appositionem additum erit *κότον*, *δαμονά τε* et *θράσος ἄτας* ad *ὕβριν*. Nobis vero altera ratione concinnius et elegantius, neque sane difficilius procedere videtur oratio.

V. 704. *ἐν κακοῖς βροτῶν*] in malis mortalium, in infortuniis hominum. Utitur is, qui scelus commissurus est, ea conditione, qua malis urgetur alter, neque sese defendere potest, ut iam prorsus evertatur. Itaque scelus, genitum e scelere, in infortuniis mortalium tum, quando iustum tempus advenit, perniciem recens suscitat. Quod sunt qui has voces de improbis hominibus interpretentur, Aeschylus, ut equidem puto, tunc non ge-

nitivum posuisset, ne dubitatio oriretur de sensu, sed dativum, ut κακοῖς ἀνδράσι Pers. 753 et saepius.

V. 705. ὅτε c. coni. vide not. crit. — τὸ κύριον, iustum tempus poenae. Cf. Eum. 544; Suppl. 782, ubi eadem sententia. — τότ' ἢ τόθ', hoc vel illo tempore, aliquando. Eurip. Androm. 852. Bl. — νεαρά, accus. pro adverbio. Cogitatio novi sceleris, novae calamitatis, ipsa iam designata verbo νεάζουσαν, iam in hac prima etiam singularum sententiae partium exhibetur. — φάους κότον de lumine, cuius splendor est terribilis et perniciosus, vel de igne divitias destruente, vel de die infausto. Ita pernicies ipsa vocatur φῶς αἰνολαμπές, v. 360: ita in carmine Choephororum primo iustitia alios punit ingenti nocte, alios in statu, qui diluculo similis est, alios aperta et clara luce: τοῖς μὲν ἐν φάει v. 62. φάους κότος dictum de lumine infenso, ut θράσος ἄτας v. 707. κότος de omni, quod terribile apparet, de nubibus procellas ferentibus Choeph. 592. Cf. Eum. 426: ἀνάγκης οὔτινος κότον.

V. 706. δαίμονα, genium vindicem, ἀλάστορα, qui oritur ex omni scelerum propagatione, eamque gubernat et sustinet: v. 1390, 1403: μέγας καὶ βαρύμηνις. 1420: δριμύς. Cf. Pers. 354, 515 (δυσπόνητος, βαρύς). Suppl. 414 (παιώλεθρος). Theolog. Aesch. §. 9.

V. 707. θράσος ἄτας pro θρασεῖαν ἄταν, ferociam calamitatis pro ferocem calamitatem. Hoc ferociae sensu dictum θρασύνεσθαι v. 1109. θρασύ Eum. 863; Suppl. 197. θράσος Ag. 154; Prom. 42. Ita μένος ἄτης Choeph. 1076. — μελάθροισιν, quia in ipsa domo locum habet pernicies ea, cuius auctor est genius genus perdens.

V. 708. εἰδομέναν constructum κατὰ τὸ σημαινόμενον, respiciens ἄταν, quod latet in ἄτας θράσος. Aptior haud dubie cogitationi est accusativus quam genitivus: scelus recens provocat ferocem perniciem, ita ut haec appareat parentibus. Est accusativus effectum designans. Nec vero θράσος id est, quod potissimum apparet: apparet ipsa ἄτη, itaque ad hanc referendum erat verbum. Ipsius vero huius vocis sensus est is, quod subito apparet haec pernicies, inexspectata, luce illa terribili, quae antea memorata est, splendens. — τοκεῦσιν, parentibus, iis qui

scelus et perniciem commiserunt, qui apte eorum parentes dicuntur. Pernicies, ab hominibus scelestis (ὑβρισταῖς) progenita, subito iis terribilissima apparet.

V. 709 — 714. Splendet vero in hac pernicie iustitia, quae probam vitam magni facit, aspernata vero divitias macula inquinatas ad pios se convertit, spernens improbam potentiam, omnia decidens.

V. 709. δίκα λάμπει denuo dictum ut φάους κότος v. 705 et φῶς αἰνολαμπὲς v. 360: directo respiciens illud lumen infensum et perniciem apparentem. Similis sententia est Choeph. 646., ubi in effecta vindicta iustitiae arbor firmata esse dicitur, ut hoc loco eius splendor illustratus. Eadem vero, quae est hic, similitudine usus est Sophocles dicens vindictam de Aiace sumtam: εἰ δεινὸν ἔδρασας, δεινὰ καὶ παθεῖν σε δεῖ· Αἴκης δ' ἐξέλαμψεν ὅσιον φάος Ai. Locr. fr. 11. — ἐν δυσκάπνοις δώμασιν, in aedibus, quae in fumum et cineres sunt conversae, eaedem illae, quas nigra occupavit pernicies, ubi malum splendet lumen. Ita v. 750: καπνῷ δ' ἁλοῦσα νῦν ἔτ' εὔσημος πόλις. et Theb. 342: καπνῷ χραίνεται πόλισμ' ἅπαν: quorum locorum ille omnino eandem, quam noster, exhibet cogitationem, iusta vindicta diruſam apparere hic domum, ibi urbem. Aliter quidem scholiasta: δυσκάπνοις, ἤγουν πενιχροῖς καὶ εὐτελέσι, et ita omnes interpretes. At fumus non maiorem pauperi quam diviti homini Graeco attulit molestiam, quibus nulla omnino in usu erant apta fumaria neque in regum neque in servorum cubiculis. Neque ea sententia, probitatem magis esse pauperum quam divitum, poterat esse Aeschyli, qui originem generosorum hominum Atheniensium, sicut suam ipsius a diis repetebat et sane nobiliorem eorum quam plebis existimabat indolem. Manent divitiae probo diviti, improbum perdit iustitia parum curans divitiarum potentiam. Ceterum patet, quamvis generali haec dicta sint sensu, respici iis potissimum ad Paridem et Priamum eiusque civitatem, quorum scelera et perniciem antea chorus exhibuit. Eo vero, quod generali proferuntur sensu, id efficitur, ut cogitetur etiam de Atridis, quorum alter iam accedit, quorum status minime a criminibus et periculis securus haberi potest.

V. 710. ἔναλσιμος, qui in suis sese continet finibus, ne-

que quidquam facit, nisi quod iustum et aptum est sorti sibi a superis concessae. Itaque ἐναισίμως v. 848. ita, ut aptum est. τίειν v. 655.

V. 711. ἐσθλά, bona, grata, accepta, ut v. 325. Cf. ad v. 866. Mirum, quod sunt qui dubitaverint, num aptum hoc esset hoc loco. — χρυσόπαστα, auro picta, deaurata. τιήρη χρυσόπαστος Herod. VIII, 120. BOTH. Dictum ut τὰ ποικίλα v. 858, 855, 868. — πίνος, ῥύπος καὶ τὰ ὅμοια. Hesych. Minime de sordibus avaritiae cogitandum, quae huc non pertinent, sed de crimine, quo inquinantur manus. Quibus opponuntur καθαραὶ χεῖρες, tutae ab impetu Furiarum, Eum. 313. Cf. Choeph. 141. Foedissimam maculam aspergit sanguis affinium: cf. Eum. 317, 42. Haec ipsa macula, hoc ipsum πίνος erat in manu Agamemnonis: v. 189. — παλιντρόποις ὄμμασι, aversis oculis. παλίντροπος ὄψις Suppl. 173. Similis est sententia Sophoclis (Ai. Locr. fr. 11. Ddf. e Stob. Vol. I. p. 124): τὸ χρύσεον δὲ τᾶς Δίκας δέδορκεν ὄμμα, τὸν δ' ἄδικον ἀμείβεται.

V. 712. δύναμιν οὐ σέβ. πλ. Eadem sententia quae v. 354 — 356.

V. 713. παράσημον, ἀδόκιμον, κίβδηλον. ἀπὸ τούτου καὶ τῶν νομισμάτων τὰ κίβδηλα παράσημα λέγεται. Hesych. Quod falsa vel prava nota est designatum. Cf. Eurip. Hipp. 1114: δόξα μήτ' ἀτρεκής, μήτ' αὖ παράσημος. BL.

V. 714. Iustitia omnia ad suum finem gubernat, omnibus deinque id quod iustum est evenit, nunc prius, nunc serius. Eadem sententia Choeph. 61: ῥοπὴ δ' ἐπισκοπὴ δίκας cett. inc. fr. 69. — τέρμα, terminus ultimus, finis rei cuiuspiam. In fine cuiusvis clare apparet, quid de eo iudicandum sit.

V. 715 — 741. Accedentem regem excipio, sensu sincero et claro, neque laetitia, ut fit, neque tristitia ficta; quae facile perspiciuntur a probo iudice. Neque antea probavi hanc expeditionem Helenae gratia susceptam, neque nunc exsulto de victoria: tamen fidum tamen et probum civem me reperies.

V. 715 — 730. Quomodo iusta ratione te salutem, o rex, nec nimis neque parum honorifice? ne id agam, quod multi homines, qui iniuste speciem magni faciunt (— 721): qui infelicium miserari videntur sine vera tristitia (— 724), qui iidem laetitiam

fingunt de successu fortunati hominis: neque tamen eum decipiunt dolosa adulatione, qui probus est iudex (— 730). — Tota oratio in duas partes descripta, quibus praemissa dubitatio de ratione, qua excipiendus sit rex: quarum altera inane exhibet eorum studium, qui alterum ficta pietate decipere conantur (715 — 730); altera sensus ipsos, quos tum antea fovit, tum nunc fovet chorus (730 — 741). Et vanitas illius studii, et veri sensus et cogitationes chori rationem reddunt, cur dubitet ille de salutatione. Quum enim per se consentaneum sit summa laetitia excipi redeuntem regem victorem: tamen tam multa sunt, quae deprimant chori laetitiam, ut eam ostendere non possit nisi fictam. Itaque ostendit priori parte, cur fictam ostendere nolit, posteriori id ipsum, quod sentiat.

V. 715. Accedit Agamemnon, neque iam longius abest a choro, quam ut audire possit ea, quae dicit chorus. Patet igitur eum iam nunc conspici in scena, vectum curru triumphali (v. 838), in quo manet, usque dum tapetibus a Clytaemnestra stratis domum ingreditur v. 889. Eadem ratione scenam intrat Atossa Pers. 150, 607, haec etiam anapaestis salutata. Quod a monometro factum est systematis exordium, idem habes v. 83, et, ut mihi quidem videtur, Pers. 140: ἀλλ' ἄγε, *Πέρσαι*. Sufficit enim haec nominis ipsa appellatio, ut cogitatione expleatur versus, deinde altero versu tituli hominis maxime insignes exhibentur. Is enim duplex erat summus Agamemnonis honor, tum quod Troiam everterat (v. 489, 1259), tum quod ex illustri erat Pelopidarum genere. — Advectum regem sequuntur satellites (876), et captivi Troiani, in quibus Cassandra (882 sqq.) in curru, qui sequitur regium, vecta (963, 978, 994). Cf. Argum. lin. 9.

V. 717. Coniunctivi deliberativi vel dubitativi: v. 191.

V. 719. καιρὸς dictum de iustis uniuscuiusque rei finibus: itaque de tempore, si temporis cuiuspiam finibus omnino apti sunt rei fines (Prom. 523): de modo eo, qui omnino aptus est rei, de qua agitur, conditioni (Suppl. 1061. Prom. 507): denique de ipsis finibus, et ita Ag. 340: ante iustos fines, et hoc nostro loco. Qui fines tum latius extendi tum artius contrahi possunt: utrumque evitaturus est chorus. — χάρις, id quod agitur alicui gratum et acceptum.

V. 720. *τὸ δοκεῖν εἶναι*] videri esse, status, quo videtur esse aliquid. Minime *δοκεῖν* pro *δοκοῦν* positum; multo minus etiam quidquam notionis genitivi *τοῦ εἶναι* vel *ἢ εἶναι* in *εἶναι* reperiendum.

V. 721. *προτίειν*, nimis aestimare, pluris quam id quod iustum est facere: ut *τίειν* magni facere (v. 655). — *παραβάντες* v. 59.

V. 722. *ἐπιστενάχειν*] Similis sententia Suppl. 489: *τοῖς ἥσσοσιν γὰρ πᾶς τις εὐνοίας φέρει.*

V. 723. *δῆγμα*, morsus tristitiae nullus revera est, qui animum penitus commoveat. Ita *πέπληγμαι δήγματι φοινίῳ* v. 1086 de verbis, quae animum laedunt.

V. 724. *ἐφ' ἡμῖν παρ*] cf. v. 398.

V. 725. *ὁμοιοπρεπεῖς*, similes ei, cuius laetitiae participes sunt. Itaque *ξυγχαίρουσι*, minime pro dativo habendum, qui omissus est et facile intelligitur.

V. 726. *βιαζόμενοι*, vi superantes, faciem tristem vi mutantes, ut rideat. Ordo sententiarum quum primo adspectu non omnino concinere videatur cum dispositione metrica, eleganti arte cum ea congruit. Duplex exhibetur cogitatio, tum de iis qui miserationem fingunt, tum de iis qui laetitiam simulant. Prior illa paroemiaco finitur; haud vero posterior, sed dimetro haec absolvitur acatalecto, quasi ad eam ea quoque pertinerent, quae sequuntur. Et pertinent eo revera. Illa enim prior sententia communem vitae rationem respicit, haec posterior praeter communem eam quoque conditionem, quae intercedit inter chorum et regem. Iam quum ea quoque, quae sequuntur, generali sensu dicta sint, omnia tamen haec respiciunt Agamemnonem, quem tam gnarum animi humani censet chorus, ut haud ita facile decipiatur. Itaque in iis etiam, quae claudunt hoc systema, solummodo de adulatione locutus est, quae facilius in ficta laetitia quam tristitia versatur. Quum vero ea posterioris sententiae pars, quae proprie respondet priori, finiatur hoc nostro versu: id metrico signo declaravit Aeschylus, hiatu priorem partem systematis a posteriori disiungens.

V. 727. *προβατογνώμων*, qui ovium naturam novit, ut *ἱππογνώμων*, qui equorum naturam novit, Iaculatr. fr. 219, 5. Ha-

sy h. γνώμων, συνετός· Σοφοκλῆς. Cf. v. 1055. προβατογνώμων dictum ex eadem cogitandi ratione, qua ποιμὴν λαῶν.

V. 729. Subiectum totius sententiae est τὰ δοκοῦντ', ea, quae videntur esse mentis benevolae, simulata amicitiae signa, quae dicuntur σαίνειν, blandiri amicitia corrupta. Hic igitur est universae sententiae nexus: Fieri non potest, ut ea, quae videntur ex animo benevolo blandiri amicitia ficta, lateant oculos viri, qui bene gnarus est suorum,

V. 730. ὑδαρεῖ, μεμιγμένῃ καὶ οὐ καθαρᾷ καὶ ἀκράτῳ. Schol. Locutio sumta de vino, cui aqua admista. Ita diserte de vino dictum, Diphil. apud Athenae. X, 424, F. Bl. Schützio ὑδαρεῖ φιλότητι de lacrimis, quas benevolentia ex oculis stillare iubeat, dictum videtur. At quaenam lingua talia designaret per aquosam amicitiam, *wässerige Freundschaft?*

V. 731 — 741. Tu mihi tum, quum expeditionem Helenae causa suscepisti, sane valde reprehendebaris, neque bene agere videbaris, quod ad audaciam bellicam viros coegisti morti obviam ducendos (— 736): nunc vero, quum finem laboris adeptus es, gaudendum puto, sed non exsultandum. Cognosces ipse, quinam civium bene, qui male se gesserint (— 741).

V. 733. ἀπόμουσος, inscitus. ἄμουσα, ἀτερπῆ, ἀηδῆ, ἀπαίδευτα. Hesych. — γράφειν, notare, computare, aestimare, ut Soph. Oed. Tyr. 411: οὐ Κρέοντος προστάτου γεγράψομαι.

V. 734. οἴακα νέμων, ut οἴ. νωμῶν Theb. 3.

V. 735. Audaciam invitam, quia non suam rem agunt et defendunt, ubi sponte nascitur audacia, sed alienam.

V. 736. θνήσκουσι, ita ut hac causa morti tradantur. Dativus effectum designat. — Cogitatio est eadem, quae v. 410 sqq., oriri invidiam in Atridas, quod multi eorum causa occisi sunt. Hoc est alterum illud, cur ne deorum favor erga regem minutus sit, metuit chorus, alterum est immolatio Iphigeniae, quam quidem praesente rege memorare nequit.

V. 737. Laetamini quidem, vos, victores, de finito labore ac nos vobiscum, sed ne vos ipsi quidem laetari potestis gaudio penitus integro. Ita ab Agamemnone etiam haec intelliguntur, qui consentit cum hac sententia chori et ipse exhibet, quomodo invidia sibi gaudium de victoria reportata minuatur: v. 762 sqq.

V. 737. ἀπ᾽ ἄκρας φρενός] ex intima mente. Ita κατ᾽ ἄκρας, funditus, Ch. 691. γνώμων ἄκρος, optime et penitus rei gnarus Ag. 1055. Ita ἄκρας νυκτός, media et intima nocte, noctis fastigio (Soph. Ai. 285). Ita si de mentis fastigio dictum est, verba οὐκ ἀπ᾽ ἄκρας φρενὸς εὔφρων designant laborem non ex omni parte laetum et gratum esse eorum menti, non intima mente eos de eo gaudere. Itaque prorsus errant interpretes, qui οὐκ ἀπ᾽ ἄκρας φρενὸς de sincera mentis dispositione, de sincero mentis gaudio, solumque illud ἀπ᾽ ἄκρας φρενὸς de superficie mentis, in quo versetur id gaudium, quod non intimo corde sentiatur, explicant: si quidem ἄκρος ubique fastigium rei, haud vero superficiem designat. Cui gaudio turbato neque integro et penitus percepto opponit poeta οὐδ᾽ ἀφίλως. Acceptus quidem est finis laboris, sed non meram excitans laetitiam.

V. 738. Ratio, quae inter huius systematis anapaestici partes intercedit, similis est eius, quam v. 726 demonstravi. Quae enim proprie respondent sententiis systematis antecedentis, ea absoluta sunt v. 738: pariter ac tum temporis te reprehendi, nunc etiam censeo integram esse non posse tuam hilaritatem. Sed metuendum erat choro, ne hac sententia magis quam illa regis animum offenderet: illa enim tum damno, quod ferebat expeditio, aperto excusabatur, tum de exactis rebus dicebatur: haec de re praesenti, de ea, quae summa omnium erat, quas gesserat, qua maxime gloriabantur eius milites, qua maxime gloriari poterat ipse. Itaque id agendum erat choro, si non omnino cum hac gloriatione concinebat eius sententia, ut adderet id, quo probitatem et fidum animum regi ostenderet: id quod factum est in iis, quae sequuntur, quae respiciuntur a priori sententia 737 sq., per se quidem absoluta, sed in hac conditione rerum haud proferenda, nisi adderetur altera.

V. 740. ἄκαιρος, qui iustos aspernatur fines, quos tempus fert, cf. v. 718: itaque idem quod ἀδίκως, quia in servandis finibus versatur iustitia. Multi erant qui dolerent de expeditione regis eumque reprehenderent, quod filiis ipsos orbaret, quos in bellum duxit. Neque iis vitio verti potest haec reprehensio, modo officia regi, quamvis reprehenso et reprehendendo, debita explerent. Sunt qui his satisfecerint, sunt qui ea neglexerint ratione ex ea

reprehensione arrepta. In illis est chorus, in his Clytaemnestra, de qua cogitat chorus, nomen nequaquam prolaturus. Reperiet hoc rex, modo omnia perpenderit, ac tum agnoscet fidum sibi esse chorum, qui tam liberaliter locutus sit neque ullam laetitiam vero sensu maiorem simulaverit.

V. 741. *οἰκουρεῖν*, habitare, domi sedentem habitare. Nihil de gubernando. Alius civitatis incola probe, alius improbe se gessit. *οἰκουρεῖν* de serpente Soph. Phil. 1328; de puella Oed. Col. 343. *οἰκουρὸς* domi sedens Ag. 1146, 1542; Soph. Peleo fr. 434. 1. *οἰκούριον*, praemium quietis domi transactae, Soph. Trach. 542. *οἰκούρημα*, mansio quieta, Phil. 868. *οἰκουρὸς* is, cuius est ὄρος in *οἴκῳ*.

Tertio episodio v. 742 — 906 exhibetur adventus Agamemnonis, qui diis gratias agit de Troia excisa, consentit cum sententia chori, invidia semper urgeri felicitatem, ac deinde rerum domesticarum curam gerendam parat (v. 743 — 786). Excipitur a Clytaemnestra enarrante, quomodo falsa fama de mariti habitu saepissime allata, longoque desiderio vexata sit, nunc vero exsultante ut in summa felicitate splendidumque per strata tapetia ei introitum in aedes parante (v. 787 — 845). Quem honorem primo ut nimium solisque diis convenientem aspernatur Agamemno, deinde, quum persuaserit ei Clytaemnestra, religione commotus calceos deponit, captivam Cassandram, quam secum adduxit, Clytaemnestrae commendat, aedesque intrat comitante Clytaemnestra, quae denuo de eius reditu exsultat (846 — 906).

V. 742 — 786. Diis gratiae sunt agendae patriis, qui Troiae excidium decreverunt et efficiendum curaverunt (— 760). Recte tamen tu dixisti hanc gloriam victoriae meae non carere invidia: a nemine enim sinceram experiebar benevolentiam, nisi ab Ulysse (— 775). Quae vero domi adornanda sunt, eorum in publico concilio curam habebimus, nunc in ipsis aedibus deos adorabo domesticos, ut maneat nobis parta felicitas (— 786). — Duae in hac oratione cernuntur partes: altera ea, qua officium diis ante omnia debitum explet Agamemno, ad eos referens gratiam vindictae de Troianis sumtae; altera ea, qua iis, quae chorus dixerat, respondet. Alterius partis duae sunt partes, respicientes duplicem orationis chori rationem. Dixerat enim hic esse multos

qui laetitiam simularent, se nihil simulare nec laetitiam nec reprehensionem. Ex his primum id respicit rex, quod solitum sit laetitiam simulare: id quod ex invidia plerisque innata repetit; deinde id, quod, quia talis mens in hac etiam inveniatur civitate, integra esse non possit laetitia, cui rei publicam curam se adhibiturum esse pollicetur: tum hominum ratione habita, tum deorum, et horum quidem statim nunc, ut utrorumque tollatur invidia.

V. 742 — 760. Dii primum sunt adorandi patrii, qui iudicio habito Troiam condemnaverunt, quod equidem effeci igne urbem destruens. Cuius rei summa diis gratia habenda, quod nos in mulieris vindictam civitatem cepimus, evertimus arte captam, occidimus reges in eversa. — Duplici ratione diis gratia refertur, altera parte (742 — 752) iudicii causa posita in minuto deorum Argivorum honore (— 745), iudicium ipsum, quo omnes Troiam condemnaverunt (— 749), et iudicium effectum, quo destruitur urbs cum divitiis suis (— 752) exhibentur: altera (753 — 760) gloriatur Atrida, quod Argivis a diis concessum fuerit, ut urbem arte caperent, everterent et cum regia prole perderent.

V. 742. Terra et dii patrii invocati, ut v. 461 et 467.

V. 743. *προσειπεῖν* de invocandis diis v. 328. — *μεταίτιος* de deo hominis in perficiendo facinore quopiam adiutore. Eum. 199.

V. 744. Adiuverunt Agamemnonem dii terrae Argivorum patrii, quia horum honorem (*τραπέζας καὶ ξυνεστίου Διὸς* v. 653) minuerat Paris. Et omnino omni scelere in terra aliquo commisso offenditur deorum honor (v. 1561). Quum hoc in vindicta sumenda auxilium alterum sit deorum patriorum erga regem beneficium, alterum id est, quod eum servaverunt in tempestate (621).

V. 745. *δίκαι*, causae in iudicio tractatae. Quas non a sola lingua causidicorum exhibitas audiunt dii, sed factas cernunt, cernunt facinus Paridis ipsis oculis. Ita *παρών γε, κοὐ λόγους ἄλλων κλύων* Pers. 266. Cf. v. 790. Itaque quum certo omnia novissent dii, omnes eandem tulerunt sententiam. *ἀπὸ γλώσσης* dictum ut *ἀπ' ὀμμάτων* v. 918. Homines iudices nonnisi audiunt causas, dii omnes cernunt.

V. 746. *ἀνδροθνὴς φθορά*, ut *ἀνδροκμὴς τυχὴ* Eum. 956; *ἀνδροκμὴς λοιγὸς* Suppl. 678; *ἀνδρολέτειρα ἄτα* Theb. 314.

V. 747. *αἱματηρὸν τεῦχος, ἀμφορεὺς θανατοῦ* in iudiciis Areopagi, quum alterum vas, illud *ἐναντίον κύτος*, ibi vocaretur *ἀμφορεὺς ἐλεοῦ*. Schol. Aristoph. Vesp. 89. In Eumenidibus etiam duo circumferuntur vasa (v. 742). — *οὐ διχορρόπως* Suppl. 605.

V. 748. *ψήφους ἔθεντο φθορᾶς* dictum pro *ἐψηφίσαντο*. cf. Herm. Vig. 899. WELL. Artissime iunguntur cogitationes *ψήφους τιθέναι*, ut unam efficiant notionem. Potest vero hic locus etiam ita intelligi, ut quaevis sententia, *ψῆφος*, dicatur *φθορά*: quum uniuscuiusque dei sententia perniciem decreverit, unaquaeque sententia ipsa dici poterat pernicies.

V. 749. Ad oppositum vero vas exspectatio manus accessit non impletum. Exspectabatur manum aliquam esse accessuram, sed nihil ad vas accessit, nisi sola ipsa haec exspectatio, itaque vacuum manebat. Videtur poeta hoc loco rem ita cogitavisse, ut non circumportarentur vasa, sed posita essent ex utraque iudicum parte, ut accederet iudex quisque ad id, in quod calculum iniiciendum duxit. Nemo accessit ad alterum vas. — *οὐ πληρουμένῳ* dativus effectum designans: ita ut non impleretur. Cf. v. 736.

V. 750. Nunc etiam fumo insignis est capta civitas. E longinquo adspicientibus fumo designatur locus, ubi sita erat Troia, neque nunc etiam, quum tantum temporis in itinere nostro praeteriit, fumo finis factus est.

V. 751. Vigent perniciei procellae; favilla vero simul emoriens emittit pingues opulentiae flatus. Vivunt illae procellae adhuc, quamdiu est quod ignis devorandum inveniat: postea vero una cum procellis illis, quibus flammae designantur, emoritur favilla, mutata in mortuum cinerem: in ipso vero emoriendo emittit fumi flatus, quibus disperguntur divitiae, quas exstinxit, per nubes et aërem. — *ζῆν* sensu metaphorico de oraculis Soph. Oed. Tyr. 482, de legibus divinis Antig. 457., de eventibus fortunae Oed. Tyr. 45.

V. 754. *καὶ — καί*] eadem res duplici ratione narratur, nunc brevius, nunc longius et accuratius. — *πάγαι*, artes, insidiae, ut *ὁρκανὰ* Theb. 346. — *δίκτυα, παγίδας*. Schol. — *ὑπέρσχοντοι*, quarum vis infensa vim defensorum superavit.

V. 756. *διαμαθύνειν*, delere, exstinguere, ut *ἀμαθύνειν* Eum.

237. De lacerando Iacul. fr. 225 (Ddf.): *κύνες διημάθυνον ἄνδρα δεσπότην.* Qui locus aliquid similitudinis habet cum nostro: *δάκος διημάθυνεν.* Hic vero usus Aeschylo proprius, neque omnino concinens cum primitiva vocis significatione: *ἄμαθον ποιεῖν, ἀφανίζειν, φθείρειν.* Hesych., in arenas et pulverem convertere, in pulverem redigere. Ita Il. IX, 593; *πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει.* — *δάκος*, bestia mordax, monstrum, v. 1153. Ch. 530. cett. Eur. Hippol. 646. Talis bestia ipse dicitur ille Graecorum numerus, qui in equo ligneo celatus urbem cepit et perdidit. Ita *παράνομον δάκος* de Ulysse dictum Eur. Troad. 284.

V. 757. Equi pullus dicitur illa caterva, qui ex utero equi lignei procedens in urbe apparuit. Ita Lucretius I, 470: nec clam durateus Troianis Pergama partu inflammasset equus nocturno Graiugenarum. Et Ennius apud Macrobium (VI, 2): nam maximo saltu superavit gravidus armatis equus, qui suo partu ardua perdat Pergama. Quibus nostri versus ipsi videntur expressi, quanquam eo ille locus differt a nostro, quod ibi equus ipse, hic ii, qui equo erant inclusi, saltum fecisse dicuntur. — *ἀσπιδηστρόφος*, qui scutum versat, qua arte maxime opus est in proelio, ubi varia a variis partibus iaciuntur tela. Inde acceptam saepe gloriandi causa hanc consuetudinem exercebant heroes: Theb. 490, 542, 590. Cf. Soph. Ai. 575: *διὰ πολυῤῥάφου στρέφων πόρπακος ἑπτάβοιον σάκος.* — *λεώς* de manu virorum electorum: Eum. 638, 681. — Locus Homeri est Od. VIII, 512: *δουράτεον μέγαν ἵππον, ὅθ' εἵατο πάντες ἄριστοι Ἀργείων, Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες.* Cf. IV, 272.

V. 758. *πήδημ' ὀρούσας*] prosiliens ex equo, *ἱππόθεν ἰκχύμενοι* Od. VIII, 515. — *ἀμφὶ Πλειάδων δύσιν*] sub fine auctumni. Mense Maio oriuntur Pleiades quattuor et quadraginta circiter diebus post aequinoctium vernum, et Novembri occidunt, totidem fere diebus post aequinoctium auctumnale. Communis autem opinio Troiam excisam refert sub initio aestatis. BL. Mense Scirophorione aut Thargelione, ut Hellanicus, Aeschylus auctumnum, ut videtur, ideo designavit, ut rationem redderet ingentis illius, quae classem redeuntem vexavit, tempestatis, quae media aestate parum probabilis videri poterat. Post ipsum enim Pleiadum occasum tempestates oriri dicit Hesiodus, quae summum

omni navigationi afferant periculum: Opp. 617: εἴτ' ἂν Πληϊάδες σθένος ὄβριμον Ὠαρίωνος φεύγουσαι πίπτωσιν ἐς ἠεροειδέα πόντον, δὴ τότε παντοίων ἀνέμων θύουσιν ἀῆται· καὶ τότε μηκέτι νῆας ἔχειν ἐπὶ οἴνοπι πόντῳ. Cf. ib. 382.

V. 760. ἔλειξεν] αἱματολοιχὸς v. 1399. λέων αἱματοβρόφος Eum. 193. τυραννικὸς regius, ut Ch. 479. Designatur caedes Priami, Politis, Deiphobi, Astyanactis, aliorumque Priami filiorum septem, quos cum Paride et Helena post Hectoris mortem superstites memorat Homerus Il. XXIV, 249. Quibus e fabulis tragicorum addere possumus Polydorum, a Polymestore necatum.

V. 761 — 775. Haec diis erant dicenda; quod tuam attinet orationem, equidem tecum consentio. Rari sunt, qui felicibus non invideant: duplici enim malo urgetur infelix, tum proprio dolore, tum adspectu alienae fortunae (— 769). Id quod ipse expertus sum: quum inertem repererim amicitiam eorum, qui mihi maxime benevoli videbantur: solusque Ulysses, quanquam invitus expeditionis particeps, strenue me adiuvit: qui utrum nunc vivat an interierit, ignoro (— 775).

V. 762. μέμνημαι κλύων] sane eorum, quae tu protulisti, non oblitus sum, quanquam, antequam ad ea respondeam, de aliis rebus locutus. Respicit vero eam chori sententiam, fingi plerumque laetitiam et tristitiam, ut blandus et amicus appareat animus longe aliter sentiens. Cuius rei exhibet rex rationem, repetitam e communi hominum in feliciores invidia.

V. 763. συνήγορος, qui idem profitetur, quod aliquis. Ita de oraculis aliis, quae idem dicunt, quod alia, Soph. Tr. 1165. συνηγορεῖν assentiri ib. 814. Minime cogitandum de patrono, ut Wellauer. Ind.

V. 764. συγγενές, innatum, ut Eum. 691. σύγγονον Ag. 816.

V. 765. φίλον arcte iungendum cum σέβειν, pro amico, ut amicum colere eum qui fausta utitur fortuna.

V. 766. δύσφρων ἰός, venenum infensum, venenum malevolentiae. Morbus gravius vexat eum, cuius sanguis veneno quopiam corruptus est. ἰὸς de veneno, ut Eum. 730. Venenum malevolentia si cor occupavit, auget dolorem. — προσῆσθαί τι locum alicui vicinum occupare; πρ. τινι locum hunc tenere, v. 1112, 1533. Pers. 881.

V. 767. νόσος de malo quopiam. Cf. ad v. 782.

V. 770. ἐξεπίσταμαι, scio ex indiciis: saepius apud Sophoclem: Oed. Col. 554.

V. 771. κάτοπτρον, speciem, imaginem in speculo visam, familiaritatis. Egregia designatio falsae amicitiae, cuius signa omnia conspiciuntur, nec tamen sensus iis subest et vita pariter atque imaginibus, quas speculum exhibet. — εἴδωλον σκιᾶς, imago umbrae: duplice vanitate, et umbrae et imaginis. Ita σκιᾶς ὄναρ Pind. Pyth. VIII, 95. εἴδωλον σκιᾶς Soph. Tyro fr. 587. 6. εἴδωλ' ἢ κουφὴν σκιὰν Soph. Ai. 126. καπνοῦ σκιάν, εἴδωλον Phil. 946. — Sunt qui arctius iungant verba εὖ γὰρ ἐξεπίσταμαι δόμιλος κάτοπτρον, hisque separatis εἴδωλον cett. pendere putent ab εἰδὼς λέγοιμ' ἄν. At tum nihil diceret Agamemno, nisi esse illos, qui sibi benevoli visi essent, homines inertes; id quod minime erant, sed inanis erat eorum familiaritas. Hoc dicendum erat, fuisse eos nonnisi speciem familiaritatis, id quod facile intelligitur esse idem quod familiaritatem eorum fuisse nihil nisi speciem. Tum sponte intelligitur, quonam sensu dicantur inanes vel inertes.

V. 772. δοκοῦντας cett. Si quidem consentaneum est eorum, qui bellum cupiunt, animo incitato et inquieto non contra hostes solum, sed mox etiam contra ipsum ducem sese convertere; eum vero, qui libentius domi se continet, quam bellum suscipit, mores pacati iustis ubique coercebunt finibus eique suadebunt, ut regi concedat quod regis est.

V. 773. Ulysses expeditionem recusans exhibebatur in quarto Cypriorum libro, ibique ficta eius insania detegebatur a Palamede, id quod notum e Proclo. Quum Palamedem scripserit Aeschylus, ibi quoque haec narrata fuisse intelligitur.

V. 774. σειραφόρος, ut v. 1556, qui aliquem in efficiendo opere adiuvat: proprie de equo σειραίῳ Soph. El. 722, funali, non iugali. Biga enim Atridarum ex utroque fratre constabat, quibus fidus associabatur Ulysses. — Ulyssem optimum fuisse Atridarum socium ex omnibus patet de bello Troiano fabulis. Eius enim prudentia et sollertia tum convocantur participes, tum coniuncti tenentur, tum pervenitur ad finem: id quod in singulis fabulis demonstravi in Univ. Encyclopaedia (Odysseus.). Ubicunque dissi-

dium aliquod in exercitu oritur, eum vides ab Atridarum partibus stare: quum ii, qui sunt fortissimi, Achilles, Aiax, alii, saepissime adversentur Atridis.

V. 775. *εἶτ' οὖν* cett.] Quia tempestate hic quoque abreptus erat: cf. v. 630. Vides duplici ratione felicitatem, quae iam contigit Agamemnoni, minutam, tum invidia multorum et amisso amico unico, tum iis turbis, quas regem in civitate reperturum esse designavit chorus.

V. 776 — 786. Quae praeterea in rebus civitatis et divinis adornanda sunt, ea publicis comitiis habitis curabimus. Quae prospera sunt, ea stabiliamus: quae medela egent, iis eam adhibebimus. Nunc in ipsis aedibus deos adorabo domesticos, ut victoriam, quam concesserunt, perpetuam conservent. — Quae in civitate adornanda sunt, eorum duplex est ratio: aliorum ea, ut confirmentur et stabiliantur res bene et prospere gestae, aliorum ea, ut exstinguantur ea, quae noxia exstiterunt. Utrumque parat rex, et praeter hoc honores diis debitos.

V. 776. *πρὸς πόλιν τε καὶ θεούς*] In urbe multa inspicienda et diiudicanda erant reverso regi, bona eorum, qui bello erant occisi, distribuenda, ea quae eo absente vi iniusta fortasse erepta erant, restituenda, alia. Diis id potissimum debebatur, ut offerrentur spolia e bello reportata (v. 336) et instituerentur supplicationes per totam civitatem, ut gratiae agerentur.

V. 777. *κοινοὺς ἀγῶνας*] communia studia, communem deliberationis contentionem. — *πανήγυρις* de comitiis, quae rex constituturus est. Agit enim ille, ut Graecum regem decet (cf. v. 851), eadem ratione, qua rex Argivus in Supplicibus, penes quem quum sit rerum arbitrium et summa potentia, tamen ille non decernit in rebus publicis, nisi quod in comitiis ipse populus constituit. Cf. Suppl. 367, 338, 621 cum v. 370. sqq.

V. 778. *τὸ μὲν καλῶς* cett.] Cui oppositum est *ὅτῳ δὲ καὶ* cett.

V. 780. *φάρμακον*, remedium, v. 506. sensu amplissimo. — Dativus *ὅτῳ*, in quo, qua in re. Cf. v. 201.

V. 781. *εὐφρόνως* de benevolo consilio, quo vulnera infligit medicus.

V. 782. *νόσος* dicitur quidquid integrum rei statum turbat vel infringit, v. 500, 767. Civitati cuipiam si damnum aliquod

inferur, hoc rectissime dicitur eius morbus. Revertitur in hoc versu Aeschylus ad dictionem propriam, quum in illis *φαρμακων — κέαντες, τεμόντες* metaphorice locutus sit. Proprie dictum est *πῆμα*, damnum, deinde denuo improprie *νόσον*. Id quod optime se habet. Scilicet si proprie de morbo dicendum est, male dices hunc damni morbum; sin de damno, ut hic de damno, quod civitati inferunt mali cives, optime uteris hac locutione. — *τρέπειν* pro *ἀποτρέπειν* de vertendo in fugam Pers. 1029; Theb. 955.

V. 783. *ἑφέστιος*, sacro foco ornatus: Theb. 73.

V, 785. *πέμψαντες* v. 474.

V, 787. Ingreditur Clytaemnestra, quam sequuntur servae (v. 840), regem exceptura. Nec tamen ipsum initio salutat, sed alloquitur chorum magnifica oratione de amore suo. Quod haud dubie signum simulationis et pravi facinoris conscientiae esse voluit poeta.

V. 787 — 845. Diu dolor me affecit de marito, quum varia eius mala saepissime referrentur, neque solamen mihi erat consuetudo filii. Itaque oculi mihi corrumpebantur flendo maloque somno (787 — 826). Nunc omnium eorum oblita summo te gaudio accipio acceptissimum: intres domum, solum pede haud tardigens, sed purpureis ingrediens tapetis (827 — 845). — Prior pars orationis dolorem, posterior laetitiam exhibet. Doloris est duplex causa, tum sparsi rumores de vulneribus vel morte Agamemnonis, tum desiderium mariti absentis auctum eo, quod filius etiam aberat. Laetitiam tum iactabundis appellationibus, tum splendido ornatu, quo redeuntem excipit, exhibere studet. Ceterum recte monuit Butlerus insigni arte elaboratam esse hanc orationem Clytaemnestrae, quippe in qua nullus conspiciatur sincerus animi motus: omnia prolixe, ordine et composite exhiberi, neque prius de marito salutando sollicitam esse reginam, quam quae ipsa perpessa sit sedulo enarraverit: in ipsa vero gratulatione tam curiose eam sectari imagines, ut a naturae veritate abhorreat, et in fine dum maritum honoribus cumulet, indicare eam atrox, quod paravit, consilium. Haec imaginum quaerendarum curiositas conspicitur etiam in ea ratione, qua vulnera et mortem, quae perpessus dicebatur, in ipsa corporis eius, quod iis intactum manserat, imagine demonstrat. Bene scivisse Aeschylum, quomodo

appareat sincera laetitia, cernimus tum in prima praeconis oratione (v. 461 sqq.), tum in oratione Electrae, qua excipitur Orestes (Ch. 235 sqq.), tum in oratione Orestis iudicio absoluti, qua Minervae et Apollini gratias agit (Eum. 754 sqq.). In his omnibus omnia simplicia, vera, minime artificiosa, minime similitudinibus ornata.

V. 787 — 792. Cives Argivi, palam vobis amorem meum erga maritum profiteri haud pudet: quum talem anxietatem tempus tollat. Sane enim molestam egi vitam, quamdiu ille ad Troiam erat.

V. 787. *πρέσβος Ἀργείων*, Argivi venerandi. Sed Pers. 623: *πρέσβος Πέρσαις*, Persis veneranda. Idem quod hic Ag. 1315. Ita Soph. Oed. Tyr. 911 chorus appellatur *χώρας ἄνακτες*. Chorus enim compositus e senatu Argivorum: vide ad v. 1265.

V. 788. *οὐκ αἰσχυνοῦμαι*] Quamvis domi mulieres coercebantur e moribus Atheniensium. — *τρόποι*, mores, indoles, Prom. 309.

V. 789. *ἐν χρόνῳ*] si multa sumus experti. Id quod accidit Clytaemnestrae per vitam illam molestam: quam mox exhibet. — *δὲ* rationem eorum quae antecedunt reddendam introducit.

V. 701. *λέξω*, dicere possum. — *οὐκ ἄλλων πάρα μαθοῦσ'* nihil exprimit, nisi ipsius eius in hac re experientiam, cf. v. 745.

V. 792. *τόσονδε*, tamdiu, proprie tantam (vitam), tam longum tempus vitae.

V. 793 — 808. Et primum quidem id est malum mulieri, quae sola domi relicta est, molestissimum, quod semper veniunt peregrinatores narrantes infortunia, quae marito acciderint (— 797). Ita toties vulnus ei inflictum narrabatur, ut, si verum hoc esset, reti similis esset; toties eius mors relata est, ut tria corpora Geryonis instar habuisset, ter obisset, ter sepultus esset (— 805). Talibus rumoribus saepe equidem permota sum, ut laqueum collo iniicerem, quem vix solverunt alii (— 808).

V. 796. Hunc versum recte explicat Schütz: alium venire mala nuntiantem, alium peiora afferre, nam *λάσκοντας δόμοις* ad utrumque refertur. WELL. Dictum est pro: *καὶ τὸν μὲν ἥκειν φέροντα κακὸν πῆμα, τὸν δ' ἐπεισφέρειν τοῦδε κάκιον ἄλλο*. Ratio haec, qua omittur sententiae pars aliqua in

priori parte, eo plenius dicta in posteriore, eadem est, qua in duabus sententiis, quibus negatur aliquid, omittitur prior negatio, ut v. 490.

V. 799. *ὀχετεύειν*, portare. Hesych. *ὀχετεύει, ἐπιχέει, σαλεύει, μεταφέρει.*

V. 800. *τέτρωται* voce *ἄν* non addita, quia nescit Clytaemnestra, quod vulnera acceperit Agamemno. WELL. — *δικτύου πλέω λέγειν*, ut dicendum sit haec esse plura quam retia. Cf. v. 342.

V. 801. *πληθύνειν*, multitudinis auctoritate extollere. Cf. v. 1292. Suppl. 604. Intelligitur accusativus *θάνατον.*

V. 802 sqq. Triplici corpore ut alter Geryon multam supra se, — eam enim, quae infra est, non memoro, — terrae triplicem vestem se accepisse gloriaretur, quum semel quavis forma obierit. Quum omnino insignes et superbas similitudines quaerat et iactet Clytaemnestra, iam sepulcrum dicit vestem, qua defuncti corpus induatur. Cuius est pars duplex, altera infra corpus, altera supra, ut universum hoc circumdaretur. Constat haec sepulcralis vestis ex ipsa terra, quae corpus circumdat. Cuius magna moles est supra corpus, ingens vero infra: neque hanc exhibere vult Clytaemnestra (*τὴν κ. γ. οὐ λ.*), quia de ea potius terra cogitamus, quae tegit mortuos, quam de ea, quae sub eius corpore est. Quam tamen memorat poeta Theb. 950: *ὑπὸ δὲ σώματι γᾶς πλοῦτος ἄβυσσος ἔσται.* Ita omnia bono sensu et bono ordine procedunt, triplici corpore, triplici sepulcro et triplici morte memoratis, quae omnia memoranda erant. Differt sane quorundam interpretum opinio, qui *χλαῖνα* de ipso corpore, animi quasi veste, intelligunt, et *πολλὴν* dictum pro saepe. At neque Aeschylea est illa cogitatio, corpus dicere *χλαῖναν*, neque bene procedunt sententiae, quum bis idem dicatur: triplex corpus enim voce *τρισώματος* satis designatum est. Recte igitur Bothius, Vossius et Blomfieldius involucrum terreum designatum statuerunt: quorum sententiam tum demum cognovi, postquam ipse hoc perspexi. Quod Wellauerus verba *τὴν κάτω γὰρ οὐ λέγω χθονὸς* de mortui Geryonis corpore dictum putat, hoc omnino otiosum esset. Apte comparaverunt ii, qui nobiscum faciunt, locum Theogn. 420: *καὶ πεῖσθαι πολλὴν*

γαῖαν ἐφεσσάμενον, et Homeri λάϊνον ἕσσο χιτῶνα de iis, qui lapidibus obruuntur: Il. III, 57, ipsiusque Aeschyli epigramma (Anthol. III, 5.): Ὄσσαλαν ἀμφιέσαντο κόνιν. — Geryonis res exhibebantur a poeta nostro in Prometheo soluto, ubi Herculi viam, qua ad Geryonem perveniat, demonstrat Promètheus. Dixi de hac fabula in Ephem. Schol. 1833. II.

V. 807. ἄνωθεν, supra collum. Quod Schützius: in superiore aedium contignatione, obscurius indicatum esset. Solvunt laqueum collo iniectum desuper, quia supra collum est nodus.

V. 808. πρὸς βίαν λελημμ., a laqueo.

V. 809 — 818. Neque aderat qui me solaretur Orestes: hunc enim educat vir hospitio nobiscum iunctus, Strophius Phocensis, qui monuit me de periculo, si quid tibi ad Troiam accidisset, et domi seditio plebis oriretur: quum soleant homines urgere eum, cui malum aliquod accidit.

V. 809. ἐκ τῶνδε] propterea, ut v. 1144, 1519. Ch. 1056. Eum. 550. Quia hac perpetua anxietate de vita tua vexabar, filium Strophio misi. Hic enim verebatur, ne, simulac certus de regis morte nuntius afferretur, tumultus in plebe ortus periculum Oresti iniiceret, metumque augebant varii rumores illi. Itaque aptissime dictum est ἐκ τῶνδε et bene omnia cohaerent, id quod negavit Bothius, neque perspexit Schützius, ἐκ τῶνδε contra communem usum ad sequentia referens.

V. 810. σῶν] Primo nunc, quum Orestis meminit, ipsum Agamemnonem directo alloquitur Clytaemnestra. — κύριος, in quo proprie insunt, qui propria in sese habet. Addit hoc, ut ostendat, quanti sibi aestimandus fuerit Orestes, quanta eius cura habenda.

V. 811. ὡς χρῆν] Iure suo pignus foederis coniugalis Clytaemnestrae erat Orestes, eoque carior matri.

V. 812. δορύξενοι, οἱ ἐκ πολέμου ξενοὶ γεγονότες τισί Eust. Il. III, p. 405, 33. BL. Itaque omnino hospites amicitia iuncti, quia firmum esse solet sodalitium in bello ortum. Cf. Choeph. 914, 562.

V. 813. Strophius Phocensis denuo memoratus Ch. 679. Bene ab hoc exceptum esse Orestem probatur amicitia, qua cum Pylade iungitur hic (Ch. 900). Tamen servitutem conditionem illam

dicit Orestes, quia scilicet ab alieno, non a suorum ibi pendebat arbitrio, neque e debito ei repetenda erant quae grata accepit, sed a favore. Cf. Ch. 914. Ag. 1203. Itaque diserte designat Orestes adulterii causa matrem sese removisse (Ch. 917), neque quum ad mortis discrimen adducta est, hoc infitiatur Clytaemnestra. Quae igitur hoc loco profert de tumultus periculo, est praetextus, at sane probabilis. — *ἀμφίλεκτα*, dubia. Designatur hac voce quidquid duplici ratione exhibetur, itaque tum res certamini obnoxia, ut 1501. Eur. Phoen. 500, ut *ἀμφίλογος* Soph. Ant. 111: tum res de qua dubitatur, ut *ἀμφιλέκτως* Theb. 809. Ita hoc loco *ἀμφιλ. πήμ.* mala, quae num eventura sint dubitari potest, itaque mala quae minantur, etsi non certo instant.

V. 814. *προφωνῶν*] praedicans, exhibens, ut Eum. 466, 504. praedicans, quam dubia, quantis fortasse malis obnoxia sit domus.

V. 815. *δημόθρους ἀναρχία*] tumultus plebis clamoribus excitatus. Talem voluntatem reprehendendi regis et magistratus, ex qua facile oritur tumultus, si quis nuntius affertur, quo tutos se fore opinantur ii, qui seditionis cupidi sunt, exhibet poeta Suppl. 401, 285. 816. — *βουλή*, senatus, qui regis causam tuetur eo absente. Ex hoc senatu in nostra tragoedia chorus est compositus. Cf. v. 1270 sqq. Quamdiu bona de regis absentis conditione nuntiantur, facile cohibentur seditiosi, rediturum regem vindicem verentes: simulac vero huic aliquid accidisse narratur, ab hoc metu liberati moliuntur res novas, in clade regis domum quoque regiam eversuri. Id quod declaratur vocibus *τὸν πεσόντα λακτίσαι πλέον*. — *σύγγονον* cf. v. 764.

V. 818. *σκῆψις*, argumentum, ut Soph. El. 584: *σκῆψιν οὐκ οὖσαν*, argumentum, quod nihil est. Eur. Med. 744. Quod minime referendum ad argumentationem Agamemnoni nunc exhibitam, sed ad eam, qua Strophius Clytaemnestrae persuasit, ut filium sibi traderet. Hoc argumentum, ait, tam clarum et grave erat, ut non posset existimari eum non sinceram nostrae felicitatis curam habere, sed fraude aliqua filium nobis subtracturum esse. Id enim probandum erat, benevole egisse et dixisse hominem peregrinum in his rebus Atridarum domesticis: ineptum vero esset, si dubitationem Agamemnonis, num ipsa pie erga filium

egerit et gravi argumento ad eum mittendum permota sit, probabilem existimavisset Clytaemnestra.

V. 819 — 826. Mihi vero flendo lacrimae exaruerunt: damnóque affecti sunt oculi dolore, quod nunquam facis nuntius apparuit. Excitabar vel culicis motu e somniis, in quibus plura tibi mala accidere videbam, quam quae capiebat temporis spatium. — Exhibetur fletus, tarde adveniens et saepe turbatus somnus.

V. 820. *κατεσβήκασιν*, exaruerunt, quum v. 890 et Theb. 584 *κατασβέσει* sensu transitivo dictum sit. Intransitiva significatio perfecti usitata est in iis verbis, quorum aor. 2. eandem habet, ut *ἔσβην*, defecit, evanuit.

V. 823. *ἀτημέλητος, ἠμελημένος.* Xenoph. Cyrop. VIII, 1, 5. Verbum *τημελεῖν* Eur. Iph. Aul. 731; Iph. Taur. 311. BL. Signa negligebantur, i. e. non incendebantur, quia incendendi causa nondum aderat. WELL.

V. 825. *ῥιπαῖσι θωΰσσοντος*, motibus susurrantis. *Θωΰσσειν* omnino vocem edere Pr. 393, 1041. Quocum quia iunctum est *ῥιπαῖσι*, hoc quoque non de ictu, sed de motu intelligendum videtur, cuius sonitus dormientem excitat. Ita Prom. 126. *αἰθὴρ δ' ἐλαφραῖς πτερύγων ῥιπαῖς ὑποσυρίζει.* Soph. Ant. 137: *βαχχεύειν ἐπέπνει ῥιπαῖς ἐχθίστων ἀνέμων.* ib. 930: *ψυχῆς ῥιπαί*, animi motus. Et de fulgenti stellarum luce El. 106; Oed. Col. 1248. Ceterum loci structura haec est: *ἐξηγειρόμην ὑπαὶ κώνωπος θωΰσσοντος λιπταῖς ῥιπαῖς.* — Cf. Pind. Pyth. I, 10.

V. 826. *χρόνος ὁ ξυνεύδων*, tempus, quod inter dormiendum praeterit: nam plura somniantibus apparere solent, quam quae vigilantibus accidere tempore eodem possent. BOTH.

V. 827 — 835. Nunc ab omni moestitia liberata dicam hunc custodem aedium rudentem quo navis servatur, firmam tecti columnam, unicum patris filium, quin terram navigatori apparentem, claram lucem post tempestatem, fontem viatori sitienti. Gratum est liberari ab omni anxietate: his igitur appellationibus dignum eum existimo.

V. 827. *ἀπενθ. φρενὶ* iungendum cum *λέγοιμ' ἄν*: at consulto compositum cum *ταῦτα πάντα τλᾶσ'*: quum haec omnia perpessa sim, animo tamen malorum nescio, animo qui nullius mali recordatur. Duplex est harum appellationum, quibus cumulat

Agamemnonem, ratio: primo recensentur res tales, qualibus omnino opus est, ne damno afficiatur res alia, deinde tales, quae in ipso periculo salvum reddunt. Illa sunt utilissima, sed haec etiam laetiora: disparantur utraque per *καί*. Etenim sine canis custodia omnino non possunt bene se habere stabula, neque navis sine funi qua malus alligatur, nec tectum sine columna qua nititur, nec parens sine filio, qui senem contra iniurias defendit: litus vero navigantibus procella abreptis apparens, clara lux tempestate vexatis, fons sitienti servant sane e gravissimis periculis. Ita optime omnia procedunt neque mutandum quidquam. Est sane aliquid conquisiti in hac cumulatione, sed hoc de consulto fecit poeta, et optime quidem.

V. 828. *κύων βοτῆρ* Soph. Ai. 297.

V. 830. *ποδήρης*, pedibus aptus: itaque tum de eo, quod usque ad pedes pertinet, velut *χίτων ποδήρης*; tum de eo quod cum pedibus cohaeret, ut ipsi pedis digiti, v. 1510; tum de eo, cuius pes solo aptus est, quod stabile est et firmum. Ita hoc loco. — *μονογενές* cett. Senes filiorum ope non adiutos ludibrio saepe tractatos novimus ex Od. XI, 496. Cf. Il. XXIV, 538. Choeph. 505.

V. 831. *παρ' ἐλπίδα*] Ex quo patet in ignotas regiones abreptos fuisse navigatores.

V. 833. *πηγαῖον ῥέος*, ut *κρηναῖον γάνος* Pers. 483.

V. 834. Sane iucundum est liberari ab omni anxietate. *ἀναγκαῖον*, quidquid libertatem coercet. Cf. v. 197. Quod minime ad Agamemnonis conditionem referendum, sed ad Clytaemnestram totamque domum regiam. Reddunt haec rationem, cur has appellationes cumulaverit, et ipsa ficto laetitiae impetu exclamantur. Deinde revertitur ad ipsas appellationes, eas contra invidiam defensura.

V. 836 — 845. Spero abfore invidiam: nunc vero tu currum relinquens pedem tuum, quo Troiam evertisti, ne humi ponas, sed ingrediaris via e purpureis tapetis strata. Reliqua cura adhibita apte adornabimus.

V. 836. *φθόνος*. Quae appellationes splendidae quum facile concitent invidiam, nos ab ea malis nostris tuti videmur esse. Patet enim e iusta distributionis ratione, si quis multa innocens

perpessus sit, deberi ei felicitatem eo maiorem: neque tamen egredi eum hac felicitate e finibus sortis suae, quippe qui infortuniis pristinis magis, quam quod iustum est, fuerint coerciti. — Ceterum quum e sequentibus appareat genu flexisse Clytaemnestram (852), hoc eam hoc loco fecisse putandum est, quo ultimo directo alloquitur Agamemnonem.

V. 838. *ἀπήνη* proprie *ἅρμα ἐξ ἡμιόνων ζευχθέν*. Quaeri possit hoc loco, num intelligendus sit currus equester, quo in proeliis usus erat Agamemno. At nonnisi currum mulis iunctum possumus statuere, quia idem dicitur *ἀπήνη* (v. 963): quod proprium erat talis currus vocabulum: ut victoria mulis in ludis parta sola hac voce *ἀπήνη* designaretur. Si quis miretur tali curru advehi Agamemnonem, existimandum est hoc propterea fieri, quod eo uti solebant Graeci in quovis itinere vel longiore vel breviore.

V. 839. *Ἴλιον πορθ.*] Notus est Horatii locus Od. I, 35, 13: iniurioso ne pede proruas stantem columnam.

V. 841. Rationem eorum, quae, quum haec scriberet, senserit Aeschylus, collato loco Athenaei (XII, 514), ubi describitur habitus, quo Persarum regi Susis vel Ecbatanis advenienti introitus paratur, intelliges. Sternuntur ibi in aula inde a porta exteriore usque ad ipsam domum tapetia Sardiana, quae pede tangere nemini licet, nisi ipsi regi. Hunc morem barbarum invidiae obnoxium haberi ab Aeschylo satis apparet. Eo quod sine ullo tali ornatu domum advenit Xerxes, quum antea ne Atossa quidem nisi curru vecta aedes reliquerit, exhibetur prorsus deiecta superbia.

V. 843. *δίκη*, id quod iustum est, quod decet.

V. 844. *οὐχ᾽ ὕπνῳ νικ.*, ut v. 265. — *τὰ δ᾽ ἄλλα*, quae reliquae tibi inspicienda et adornanda sunt, ut v. 776.

V. 845. *θήσει εἱμαρμένα*, descripta et adornata reddet, ut *εὖ πεσόντα θήσομαι* v. 32. Observandum est sensu fati divini nusquam legi hanc vocem apud Aeschylum. — Num in his ad consilium suum occultum alludat Clytaemnestra, dubitari potest: id sane certum est, proprie haec referri ad ea, quae ab Agamemnone sunt instituenda.

V. 846—906. Multa quidem decore dixisti: noli vero honoribus me cumulare, quae mortalem non decent. Sufficit gloria, quam

optime tuetur modestia (— 862). Cl. At morem mihi geras. Ag. Nolim vituperari. Cl. Nulla est felicitas, cui non invideatur. Sine hoc tibi persuaderi (— 875). Ag. Morem tibi geram, atqui depositis calceis. Tu vero hanc captivam mihi e multis electam benevole excipias. Iam per tapetia ingrediar. (— 889). Cl. Sufficiunt domus divitiae: equidem stragulas laesas non curo, tum quia facile restituuntur, tum quia te reverso summa mihi contigit felicitas. Iam vero perficiat Iupiter quae perficienda sunt (—906).

V. 846 — 862. Apte dixisti de mea absentia: at neque te decet laudes meas proferre, neve ut mulieri tu mihi blandiaris, neve flexo genu me adores, neve stragulis vestis in via stratis invidiam mihi confles: sunt hi deorum honores: equidem mortalis eos accipere dubito. Satis me celebrat fama: modestus animus felicitatem tuetur: eamque iam paratam felicitatem illo me servaturum esse spero.

V. 847. Longa tua oratio longae absentiae meae consentanea. Inest in hac comparatione aliquid iocosae comitatis. — ἀλλ'. Duo sunt quae in oratione Clytaemnestrae improbat Agamemno, tum nimias laudes, quas mulierem publice de marito profiteri parum deceat, quia neque ea sit mulierum omnino intelligentia, neque ea uxoris in iudicio de marito ferendo studii integritas, ut satis fidei ei possit haberi: tum honores nimios, quibus soli vel barbari reges vel dii ornari soleant.

V. 849. *ὅτι τὸ αἰνεῖσθαι δηλονότι μὴ παρὰ τῶν οἰκείων ἢ παρ' ἑαυτοῦ πρέπει ἔρχεσθαι.* Schol.

V. 850. *γυναικὸς ἐν τρόποις*] quasi tener et mollis mihi esset pes, muliebris instar, ut nudo solum tangere dubitarem.

V. 851. *μὴ ὥς βαρβάρῳ μοι κέλευε θρύπτεσθαι. οἱ βάρβαροι γὰρ γονυκλισίαις τοὺς βασιλεῖς εὐφημοῦσι.* Schol. Cf. ad v. 836. Barbarorum mores saepius improbat Aeschylus, ut Suppl. 952.

— V. 852. *χαμαιπετής*, humi prolapsus Ch. 964. — *προσχάσκειν* de orationibus editis cum clamore, quo late hiat os, ut *χανεῖν δεινὰ ῥήματα* Soph. Ai. 1227. Eadem ratione de barbara acclamatione dictum equidem puto *βαΰζειν* Pers. 13: quum in latrando maxime hiet os. Cf. v. 412.

V. 854. *θεούς*] Notus est mos simulacris deorum induendi vestes purpureas (cf. Eum. 1028): id quod designatur *ποικίλοις*. —

V. 855. *κάλλη*, ornamenta. Hesychius: *κάλλη*, *πορφυρᾶ*, nostrum, ut videtur, locum respiciens. — *ποικίλα*, ut v. 858, 868; Pers. 836: *ποικίλα ἐσθήματα*. Choeph. 1013: *ποίκιλμα*, dictum videtur de purpureo colore, qui variatur luce. Solum enim de his sermo est hoc loco: *πορφυρόστρωτος* v. 842, *ἁλουργέων* 879, *πορφύρας* 889, 891: nihil de vestibus acu pictis. Hesychius quidem: *ποικίλον. ἱμάτιον ζωγραφητόν*. At si haec hoc loco intelligenda essent, non omni ratione premeretur caritas purpurearum vestium, nec solum de mari, cui hae debentur, sed etiam de opere manuum artificioso loqueretur Clytaemnestra v. 890 sqq.

V. 858. *ποδόψηστρα. ἀπὸ μεταφορᾶς πέπλων, δι' ὧν τοὺς πόδας ἐκμάσσοντες λαμπροτέρους ποιοῦσιν οἱ τούτους ἐκπλύνοντες συνεχῶς. ποδόψηστρα γὰρ κυρίως ταῦτα λέγεται· νῦν δὲ τὰ ὑπὸ τοὺς πόδας ἁπλῶς πέπλα οὕτως εἴρηκε.* Schol.

V. 859. *κακῶς φρονεῖν*, desipere superbia: id quod certo efficit noxam.

V. 860. *Θεοῦ μέγ. δῶρον*] Cf. v. 164. Modestia et prudentia vel invitum docta servat in periculis. — *ὀλβίσαι* cett. Solus ille felix praedicandus est, cui permanet felicitas usque ad obitum: itaque nunc id mihi agendum est, ut bonam fortunam mihi conservem, id quod fieri non potest, si superbia aliqua honorem deorum offendero.

V. 862. *ὥς*] hac religione et modestia. Respicit *τὸ μὴ κακῶς φρονεῖν* v. 859.

V. 863 — 875. „Noli adversari meae sententiae.“ — Non in peiorem mutabo meam. — „Num diis vovisti te ita acturum?“ — Bene hoc discrimen expertus sum. — „Quid Priamus, si haec patravisset?“ — Is profecto in purpura incessisset. — „Ne igitur reprehensionem reveritus —“ Multum valet fama. — „Nulla est felicitas, cui non invideatur.“ — Desine certare. — „Sinas te vinci.“ — Num tibi etiam placet eiusmodi victoria? — „Tu libenter morem mihi geras.“

V. 863. Noli haec ita dicta esse, ut contra meam sententiam faciant.

V. 865. *ἄν* referendum ad infinit. *ἔρδειν*. *ὧδ' ἔρδειν τάδε*, in omnibus, quae ad deos pertinent, agendis tali te cohibere modestia.

V. 866. Si quis alius, satis edoctus equidem hunc eventum professus sum. τέλος, eventus, discrimen, quod prodit ex hac vel illa ratione agendi. Quem eventum in illis, qui deorum honorem minuunt, cognovit Agamemno semper esse turbatam felicitatem. — εἰδώς γ' εὖ, bene gnarus, bene edoctus: cum semel ipse offensa Diana expertus sit, quam gravis esset deorum ira.

V. 867. Quid Priamum fecisse existimas, tales res si gessisset? ἄν respicit omissum ἔρξαι. — Num tu putas Priamum victoria reportata tam religiosum fuisse? Quae vero non verebatur ille, profecto non decet te vereri, qui eius victor es tantoque maior illo. τάδε, res, quales tu peregisti, victoria de hostibus. F. I.

V. 868. In purpureis admodum ille, ut mihi videtur, ingressus esset. Priamum, si talis honor ei oblatus esset, num ita religiosum fuisse, quoniam eo gaudeant reges barbari, concedit Agamemno, id ipsum diis displicuisse ideoque in perniciem illi vertisse ratus (quo tendit addita vox κάρτα). Fallitur vero in eo, quod iam in suis rebus omnia hac religione sua curari posse opinatur: neque intelligit iram deorum ob facinus impium in filiam commissum contra se esse commotam.

V. 869. Ratio, cur reprehensionis hominum meminit Clytaemnestra, posita est in verbis Agamemnonis: ne facias viam meam invidiae obnoxiam, v. 853. Agamemnoni enim non instabat tale periculum, quale Priamo: quod solum exsistere poterat, oriretur fortasse ex invidia hominum, e reprehensione a civibus iactata. Talia ut in hoc felicitatis potentiaeque fastigio non anxie curet, quum ne Priamus quidem ea curaverit, suadet regina.

V. 870. Notum est Hesiodi: φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥντινα πολλοὶ λαοὶ φημίζουσι, θεὸς νύ τίς ἐστι καὶ αὖτη. Opp. 763. Quod affert Schol. Cf. v. 418.

V. 871. ἀφθόνητος, μὴ φθονούμενος, invidiae non obnoxius. — ἐπίζηλος, idem quod ζηλωτός, felix praedicatus Pers. 710, cf. 712. Pr. 330. Non nimis timenda est invidia, quia nulla omnino ab invidia libera est felicitas. Directo contradicit Clytaemnestra sententiae chori v. 431.

V. 872. μάχη, rixa. Vides iamiam labare Agamemnonis

voluntatem, quum non amplius argumentis eam fulciat, sed certamen avertat.

V. 873. Si me non decet cupere certamen, te tamen decet vinci, quia tam felix es, ut honor tuus hac victoria non minuatur.

V. 874. Num tu quoque eiusmodi victoriam rixae amas, ut vinci te patiaris? τήνδε ad nihil referri potest, nisi ad τὸ νικᾶσθαι. Reliqui interpretes collocationem vocabulorum καὶ σὺ et vocem τήνδε omnes neglexerunt. WELL.

V. 875. Quum religionem Agamemnonis primo eo, quod votum non fecerit, deinde similitudine Priami non tam anxii, tum levitate reprehensionis, porro futilitate invidiae, denique fastigio felicitatis, qui bene patiatur amissam victoriam, impugnaverit Clytaemnestra et haec omnia sibi refutata sint, nunc pro grato officio solum ab Agamemnone petit, ut morem sibi gerat. Ceterum patet a gravi initio transire sermonem in rationem leviorem et magis hilarem: quae enim de victoria de felicibus reportata dicit Clytaemnestra, severum vultum vix decent. Ipse etiam Agamemno leviorem iam hanc rem censet neque amplius refragatur: ne tamen deos offendat, modestius tapetia tangit.

V. 876 — 889. Iam si tibi hoc placet, solvat aliquis mihi calceos pedis: ne quis deorum, si his purpuram calco, invidiam in me suscipiat: sane enim pudet me pedibus corrumpere vestes pretiosas (— 881). Haec de his: hanc mulierem vero tu benigne introducas: eum, qui comis est victor, placide deus adspicit: nemini enim placet servitus: haec vero mihi electa est e multis bonis et donata ab exercitu (— 887). Iam quum tu mihi hoc persuaseris, ingredior domum per purpuras (— 889).

V. 876. ἀρβύλας Suidas: *Αἰσχύλος πρῶτος εὗρε προσωπεῖα δεινὰ — — καὶ ταῖς ἀρβύλαις ταῖς καλουμέναις ἐμβάταις κεχρῆσθαι.* Cf. Phoen. fr. 238 (239). Eur. Or. 140. Hippol. 1189. Patet has esse idem, quod cothurnus.

V. 877. τάχος, cito, accus. pro adv. Cf. v. 253, 1035. — ἔμβασις, calcei, in quibus ingrediuntur pedes. — πρόδουλος, qui servi loco, servi instar est.

V. 878. ἁλουργής, ἡ ἀπὸ θαλασσίου κύκλου γενομένη καὶ ἐργαζόμενη, ἡ λεγομένη πορφύρα. Etym. M. p. 70, 23.

V. 879. βάλλειν, ferire. Cf. Markland. Iph. Taur. 1200.

V. 880. *σωματοφθορεῖν*, perdere. Est hic pleonasmus haud rarus, quo exhibetur id, quod uno verbo declaratum est, denuo duobus vel pluribus appositione additis. *σωματοφθορεῖν ποσὶν* dictum ut *νέκταρ ἰφνοχόει* Hom. Il. IV, 3: cui additur *φθείροντα* ut *οἰωνῶν βοτὴρ νωμῶν ὄρνιθας* Theb. 24. Cf. v. 976. Ea quam Bothius profert explicatio, intelligendum esse *φθόνον θεῶν*, qui dicatur *σωματοφθορεῖν* perdere eum qui perdat vestes, ferri non potest, quia *αἰδὼς* non est metus, sed verecundia, pudor, qui ad id tantum referri potest, quod facturus est ipse ille, quem hoc pudet. Demonstrant hi versus, quid senserint Graeci, ubi narrabatur, quanto ornatu uteretur rex Persarum: id quod omnino ut barbarum aspernabantur.

V. 882. *ξένην* peregrinam, ut v. 986. Meminit Cassandrae, quia ipsa res hoc fert, quum iam introitum in aedes paret. Non puto de eo cogitandum esse, quasi hac mentione deorum favorem sibi conciliare studeat in hoc periculo, quod subit calcandis tapetibus: arctius enim vinculum intercedebat inter eum et Cassandram, cuius bene gnari erant superi. Quae hoc loco de favore divino erga mitem victorem dicuntur, faciunt ad mulierem Clytaemnestrae commendandam.

V. 885. Cogitatio, quam respicit *γάρ*, latet in iis, quae praecedunt: dii prospiciunt servorum calamitati, in qua saue egent ope.

V. 888. *κατέστραμμαι* c. inf., ut Herod. VII, 51: *Κῦρος Ἰωνίην πᾶσαν κατεστρέψατο δασμοφόρον εἶναι Πέρσῃσι.* BL.

V. 890 — 906. Est mare, quod nemo exsiccabit, in quo multae aluntur purpurae: et sunt domui satis amplae divitiae (— 894). Multas equidem vestes calcandas vovissem pro vita tua, si mihi hoc designatum esset ab oraculo (— 898). Nunc enim arbor frondibus virens umbra domum tegit ab aestu Sirii. Tuo reditu calorem fers in tempestate hiemis: aestatis vero fastigio refrigeratio domui paratur tua administratione (— 904). Nunc tu, Iupiter effector, efficias quae ego opto, quae efficere constituisti (— 906).

V. 891. *ἰσάργυρον*, quod argenti pretium aequat, argento emendum est. Cf. Theopomp. apud Athen. XII, 526, C.: *ἰσοστάσιος γὰρ ἦν ἡ πορφύρα πρὸς ἄργυρον ἐξεταζομένη.* Locum attulit Salmasius, cuius est emendatio vocis.

V. 892. *παγκαλνιστον*, novissimum. Multae purpurae novissi-

mum succum alens, id est: quum multae purpurae in usum sint conversae, praebentur novae et denuo novae, et novissimae: neque ullus est finis.

V. 893. Vox ὑπάρχειν duplici dicitur significatione, tum suppetendi, tum suppeditandi, ut hoc loco et Soph. El. 919: ὑπάρξει κῦρος ἡμέρα καλῶν. τῶνδε pendet ab ἔχειν, referendum ad βαφάς. Ita Soph. Ant. 1068: ἔχεις μὲν τῶν ἄνω βαλὼν κάτω, tenes unum superorum ad inferos deiectum. Quod a Bernhardy Synt. p. 168 ὑπάρχει τῶνδε explicatur: est horum, i. e. est nostrum, id obscurius declaratum esset, neque per se mentione dignum: quum de eo nemo dubitet. Imo genitivi constructio est ea, quam exhibet Bernhardy p. 146, totiusque loci sensus hic: Suppeditat domus deorum ope, ut earum (vestium) aliquas habeamus.

V. 896. Si in aedibus oraculorum eius mentio facta esset. Ad προὐνεχθέντος intelligendum πατησμοῦ. Calcatio vel attritus et iactura vestium si iussa esset ab oraculo conditio, qua tua servaretur vita, multas libenter devovissem.

V. 897. Si cui obscurius dicta videantur ea, quibus lectionem μηχανωμένης in not. crit. explicavi, haec de ea re addam. Diceret Clytaemnestra: multas calcandas devovissem vestes, si hoc iussisset oraculum, quum tua haec vita pretium pro salute sua (diis) solvendum sibi paravisset.

V. 898. Quum enim adesset radix, venit frons ad aedes, umbram supra eas extendens adversus sirium canem. Tantopere subito mutata est nostra conditio tuo adventu, quasi arbor opaca subito nata esset ex radice. Frons est adventus, radix spes.

V. 899. σειρίου κυνός] Genitivus pendet a σκιάν, umbra quae a cane, adversus canem tegit et defendit. De sidere cf. Soph. inc. fr. 941 σειρίου κυνὸς δίκην. Hesiod. Opp. 585, 607. Hom. Il. XXII, 29.

V. 900. Ac te veniente ad focum domesticum calorem in hieme venieus designas: quando vero Iupiter ex acino acerbo vinum parat, tunc iam refrigeratio in aedibus est, viro perfectore domum administrante. Sensus est: quum tu domum redis, rediens, i. e. ipso tuo reditu, aestivum calorem affers. Qui sensus quum exprimendus et μολών repetendum esset, non poterant non poni genitivi, quanquam ad subiectum referuntur. WELL. Vides praeterea verbosum

parallelismum consilio a poeta exhibitum, ut iactationem Clytaemnestrae: in utraque enim sententia tum similitudo, qua designatur felicitas, tum ipse adventus et mansio in aedibus multis memoratur verbis.

V. 901. *σημαίνεις μολών*, veniens ostendis quod quidem in te ipso fers. *σημαίνειν* hoc loco non demonstrare, sed ostendere, itaque arctissime cogitatione iunctum cum *μολών*. Tu quasi sol calefaciens accedis. Cf. ad v. 976. *σημαίνειν μολόντα* v. 293.

V. 902. *ὅταν δὲ*] designatio mediae aestatis, qua summus est solis fervor. — *Ζεὺς*, quia Iovis ope omnia, quae nascuntur in rerum natura, prospera redduntur. Ita *χαίρει Διὸς νότῳ γάνει σπορητός* v. 1314. Et Suppl. 689: *καρποτελεῖ δέ τοι Ζεὺς ἐπικραιαίνέτω φέρματι γᾶν πανώρῳ*. Cf. v. 941 et Theolog. Aesch. p. 71.

V. 904. *τέλειος*, qui omnia ad finem perducit, cuius numine omnia perficiuntur: aptissima viri designatio, qui cogitatur domus princeps, caput et dominus et in omnibus rebus *κύριος*. — *στρωφᾶσθαι*, ut v. 1145.

V. 905. Iupiter *τέλειος*, *τελέων τελειότατον κράτος* Suppl. 526. Haec praecipue diis Graecis et imprimis Iovi assignatur potestas, perducendi res ad fastigium et finem: itaque gubernandi vel removendi casus vel infortunia, ut certa rei, quae eo perducenda est, ratio non turbetur. Cf. v. 1407. Suppl. 822: *τί δ' ἄνευ σέθεν θνάτοισι τέλειόν ἐστι;* Theol. Aesch. p. 81. — *τὰς ἐμὰς εὐχάς*. Quum haec ita profiteatur, ut putandum sit Agamemnoni optare eam, ut sibi cum illa conservetur felicitas nunc parta: hoc utroque versu Iovis auxilium in perficiendo mariti parricidio invocat Clytaemnestra. Quod factum est e tali sententia, qualis: *νίκην γὲ μέντοι καὶ κακὴν τιμᾷ θεός*, Theb. 716.

V. 906. *τῶνπερ* cett.] eorum quae in eo fueris (in eo esse repertus fueris), ut forte efficeres: tum enim, quum equidem omnia mea paravero, ipse paratus, ipse in eo erit Iupiter, ut Agamemnonis necem per meam manum perficiat.

Stasimo tertio v. 907 — 958 exhibetur metus, qui choro semper ante animum versatur, ne quid mali accidat domui in hac summa felicitate, quod nunquam possit reparari. Et prioribus quidem strophis exhibetur ratio timoris reditu regis haud sublata: posterioribus ratio eius infortunii, quod ex omnibus solum est insanabile. Quae ita describuntur: Semper mihi animum depri-

mens obversatur illa imago, quomodo coepta sit expeditio huius belli, pacatis ventis adversis (Str. 1.) — Neque, quanquam nunc reversos video, deficit haec praesagitio, neque inanis est: opto vero, ut me decipiat exspectatio (Ant. 2). — Nunquam enim ei qua nunc fruimur felicitati terminus optandus est, at urget noxa vicina: facile navis incurrit in periculum: eam quidem servare poteris eiecta oneris parte, quam postea tibi restituturа est messis annua (Str. 2.): — sanguinem vero effusum nemo revocare potest, quum eum, qui artem vitae mortuis restituendae sciebat, haud cunctanter coercuerit Iupiter. Quae palam profiterer, nisi coerceret me sortis meae conditio; nunc tacite metuo, ne quid infausti eveniat (Ant. 2.) — Ratio, quae hunc metum excitat in animo chori, posita est in scelere ab Agamemnone eo fine, ut classem solveret, commisso. Sanguine requiri sanguinem, patiendum esse agenti, est lex aeterna: sunt igitur etiam qui requirant necem eius, qui necavit filiam. Cuius legis quum nunquam oblitus fuerit chorus, facile in eius animo orta est suspicio de sinceritate eorum, quae magna iactatione professa erat Clytaemnestra: neque iam non metuere potest, ne haec ipsa denuo suscitatura sit discordiam domesticam, quam permansuram esse praedixerat. Quod si revera actura erat, si revera insidias Agamemnoni structura, nullo hoc facere poterat consilio, nisi reparandae necis filiae nece ipsius. Ita nunc primo designatur haec cogitatio, esse aliquid, quod vitae regis minetur: quin nunc primo hanc ipsam concipit ipse chorus, quum omnino nihil certi habeat, sed suspiciones. Itaque cautissime et praemissa demum longa leviorum malorum, quae sanari possunt, mentione ipsam hanc cogitationem designat, quam tamen ipse nec profiteri, nec pro certa et vera habere vult, ut, quum eandem diserte enuntiet Cassandra, terrore corripiatur denuoque optet, ut longissime absint talia (v. 1168), neque intelligere velit, quod claro designavit vates, reginam esse hoc facturam (1174 sqq.).

V. 907 — 917. Cur mihi perpetuo ante animum versatur haec imago, et vaticinatur iniussus cantus, ut ea, quae obscurorum somniorum rationem aspernatur, fiducia me deficiat: postquam tempus, quo naves prope litus retentae erant, praeterierat, quum adversus Troiam profecta est classis.

V. 907. τόδε δεῖγμα certi aliquid habere debet quod respiciat. Quod nihil esse potest nisi ea, ostentum eorum, quae certo aliquo tempore facta sunt, eo scilicet tempore, quod diserte designatur v. 915 χρόνος δ' ἐπεί. — ἐμπέδως, ut nulla spe, nulla consolatione, ne ulla quidem laetitia, qualis ea est, quam de reditu regis percepi, removeri possit. Miratur ipse chorus, quod non melior sibi oritur fiducia hoc reditu (918): itaque incipit a quaestione, quid hoc sit, quod laetitiam minuat.

V. 908. δεῖγμα optime dictum de iis, quae nobis ostendit memoria. — προστατήριον, quod auctoritate quadam ornatum ante rem quampiam collocatur.

V. 909. τερασκόπος, qui omina et ostenta contemplatur. Ac sane omen est illud memoriae ostentum, quod chori oculis obversatur, quippe ex quo praesagiri possit mala manere Atridam pro iis quae tunc temporis, quod respicit illa memoria, perpetravit. Vides et vocem τόδε, et δεῖγμα et τερασκόπου spectare aliquid, quod in iis, quae sequuntur, declarandum est. — ποτᾶσθαι de eo, quod animo obversatur Choeph. 390.

V. 910. μαντιπολεῖ, vatis vice fungitur, vaticinatur. Satis patet haec quoque, quae cantus hic vaticinetur, designanda esse in iis quae sequuntur, quum non dicta sint in iis quae praecedunt. Itaque arctissime cohaerent cogitationes his versibus (907 — 910) declaratae, δεῖγμα et ἀοιδά, cum iis, quae postea designant, quid ostenderit memoria, quid cecinerit, res quidem tunc gestas, quum elapso ventorum adversorum tempore classis Aulide profecta est: χρόνος δ' ἐπεὶ cett. Inter utrasque interposita est ea cogitatio, quae id, quod ex hac tristi memoria oriatur, designat, deficientem fiduciam. — ἄμισθος, cui nullum solvitur praemium. Ita λύπη ἄμισθος Choeph. 733. — ἀκέλευστος, sponte sua, ut v. 678.

V. 911. ἀποπτύειν δίκην ὀνειράτων, aspernari rationem somniorum, natura sua abhorrere a natura somniorum obscurorum: i. e. esse clarum et certum: vide not. crit. δίκαν iunctum ut ἔχειν τέκνου δίκαν v. 672. ἀποπτύσαι dictum pro ὥστε ἀποπτύσαι, fiducia ita mentis sedem occupat, ut somniorum morem aspernetur: nondum enim occupata hac sede fiducia ipsa est incerta.

V. 913. εὐπιθής, cui facile persuadetur, Prom. 333: itaque hoc loco, qui facile bonam spem concipit.

V. 915. Postquam tempus iam, quo rudentum auxilio in arena tenebatur navis, praeterierat, quum sub Troiam profectus est navigans exercitus. Certo efficitur ex universo sententiarum nexu hoc loco nullius mentionem fieri posse temporis, nisi eius, quo crimen commisit Agamemno, cuius nunc timenda est vindicta. Id quod eo tempore factum est, quum solvit classem, immolatio filiae, id est, quod ostendit memoria, quod canit mens. Veritas huius ostenti tunc exstitit, quum superato exspectationis tempore profectus est exercitus; ex eo vero tempore perpetua mansit ostenti memoria. — *χρόνος δ'*] Particula *δὲ* advertitur animus ad respicienda ea, quae parenthesin antecedunt, et extollitur notio temporis tunc exacti. Proprie enim indicans progressum cogitationis haec particula interdum id designat, quod in sententiarum nexu eminet, ut Ch. 624: *ἀκαίρως δὲ*. cf. ib. 841; Ag. 1191; ut idem fere valeat, quod Romanorum idque: observatur mihi ostentum, cui accinit vaticinatio iniussa: idque (repraesentans ea, quae facta sunt) postquam praeteriit tempus illud. — *πρυμνήσια*, funes, quibus ad litus alligatur puppis in adventu saxo simul eiecto, cuius pondere retineantur (Il. I, 436). Praeterea navis arena litoris firmari solebat puppi impetu appulsa. Utriusque moris nullus erat usus in castris Graecorum Troianis, ubi naves subductae in litore erant collocatae, fulcris nixae, sed in Aulidensibus. Haec igitur spectari certum est. — *ξυνεμβολαῖς*. De alligandis funibus dici solet *καταδεῖν* vel *δεῖν ἐκ πέτρας*, vel *ἀνάψαι*. De eadem re hoc loco *ἐμβάλλειν*, quod de frenis equo impositis dicitur Il. V, 731; XIX, 394, et apte de funibus, quibuscum cohaerent lapides ancorarum vicem tenentes, qui semper dicuntur deiici: *εὐνὰς ἔβαλον*. Et bene se habet additum *ξυν*: duplici enim ratione in arena haerentes tenentur naves, et eo, quod impetu accedendi sunt appulsae, et eo, quod simul iniiciuntur funes cum ancoris. Ceterum genitivus *πρυμνησίων* pendet a *ξυνεμβολαῖς*, hic vero dativus instrumentalis a *ψαμμίας*.

V. 916. *ψάμμιος* in arena haerens, non autem: ex arena constans: hoc enim est *ψάμμινος*, velut *ψάμμινον ὄρος* Herod. II, 99. Ita *γήϊος* qui in terra versatur, tum is qui in rure vivit (*γεῖος*), tum inferus (Suppl. 156: *τὸν γάϊον*), tum is qui navem

reliquit (Suppl. 826 ὁ δὲ νάϊος γάϊος. cf. ib. 834: ναῖ πὰν γᾷ). Eiusdem sunt legis ἄλιος, οὐράνιος, ποτάμιος et similia. — ἀχαίας. De forma vide not. crit. Casus haud dubie genitivus est: classis designatur mentione regiae navis, in qua versantur omnia. Ita Hom. Il. I, 300 castra Achillis designantur θοῇ παρὰ νηΐ: ita Soph. Ai. 201 de sociis Aiacis ναὺς ἀρωγοὶ τῆς Αἴαντος. Cf. ib. v. 250. — Pendent vero hi genitivi a χρόνος, tempus haerentis arena navis. — παρήβησεν, consenuit, id est praeteriit. ἤβη idem quod ἀκμή. Ita dicitur χρόνος ζῶν Soph. Trach. 1171. χρ. συγκαθεύδων Ag. 826. — εὖτε semper id ipsum temporis momentum indicat, quo simul eveniunt duae res gestae. Ita hic evenit terminus temporis illius exacti una cum discessu exercitus. Cf. ad v. 170. Minime igitur in voce inest notio postquam vel ex quo, sed quando, quum, ut de tempore dictum. Itaque hoc etiam argumento evincitur falli eos, qui de tempore ad Troiam exacto intelligunt ea, quae praecedunt: hi enim in εὖτε designationem vocis postquam intrudunt. — Venti adversi coegerant Graecos ad manendum in litore Aulidis, ubi saxis alligabant naves puppibus in arena haerentes. Quod haerendi tempus ut consenesceret, ut terminum adipisceretur, filiam mactavit Agamemno. Effecit, quod optavit, terminum temporis manendi: profectus est exercitus: inde vero in deorum hominumque memoria manet scelus, quod simile fatum minatur ipsi.

V. 918 — 928. Ipse iam vidi regem reversum: tamen perpetuam illius facti memoriam mens mihi revocat, integra carens fiducia: neque inanis est haec anxietas in animo eorum, quae iusta sunt, gnaro: opto vero, ut me decipiat meae exspectationis aliquid.

V. 918. ἀπ' ὀμμάτων, meis oculis: ut Soph. Oed. Col. 15. Eur. Med. 216. WELL.

V. 920. τὸν δ', illum cantum, idem quod illo ostento et mentis vaticinio exhibebatur. — ἄνευ λύρας, ut ἄλυρος Soph. Oed. Col. 1223. Eur. Med. 1028. ὅμως, etsi reditum oculis meis cernam.

V. 921. θρῆνος Ἐρινύος cf. v. 603. — αὐτοδίδακτος, idem quod ἀκέλευστος v. 910. Vides hoc loco eius versus cogitationem

longius, deinde sententias v. 911 — 914 v. 922 et 923 brevius exhibitas.

V. 924. Nec frustrantur viscera, cor in animo iustitiae gnaro praesago turbine circumactum. — *σπλάγχνα* de praecordiis Choeph. 413, Eum. 859. — *ματάζειν*, vanas res agere. Deinde, ut *μάταιος*, de insolentia: Soph. Oed. Tyr. 981.

V. 925. *πρὸς φρεσίν*, ut *πρὸς δὲ καρδίᾳ φόβος ἥδειν ἕτοιμος* Choeph. 1024. — *ἐνδίκοις*. Si is animus, qui bene perspicit, quaenam unicuique sint iusta et debita, anxietate vexatur, sane non inanis haec esse potest. Ita legimus v. 226: *δίκα τοῖς παθοῦσιν μαθεῖν ἐπιῤῥέπει τὸ μέλλον*. Chori animus is est, qui sibi aliisque id quod iustum est ut contingat optet: quum vero hoc agere soleat, in rebus Agamemnonis idem agere non potest ob amorem eius: huic enim debita est poena: itaque ob ipsum iustitiae amorem non potest is, qui regis amans est, non vexari anxietate, eaque minime inani e certis iustitiae legibus. Propterea hic anxietatis turbo dicitur *τελεσφόρος*, certam praesagiens eventus rationem.

V. 926. *κυκλ. κέαρ*, minime nominativi absoluti, sed appositione additum est *κέαρ* voci *σπλάγχνα*, ei, cuius amplior est sensus, ea quae disertius rem exprimit. Neque enim apte dici poterat *σπλάγχνα κυκλούμενα* quia displicet imago viscerum circumactorum: haec dicuntur *κελαινοῦσθαι* vel tale quid. Eadem est eius appositionis ratio, qua Idae additur Gargarum Il. VIII, 48, vel *Θρῃκῶν ὄρεα, ἀκροτάτας κορυφάς* Il. XIV, 227.

V. 927. *πεσεῖν ἐς τὸ μὴ τελεσφόρον* iungendum, ut *πεσεῖν ἐς νόσον* Prom. 473. *ἐς τοσοῦτον αἰκίας* Soph. Oed. Col. 748. — *ἀπ' ἐμᾶς ἐλπίδος*, e mea exspectatione, ex iis quae exspecto, ut *βαιὰ ἀπὸ πολλῶν* Pers. 1023.

V. 929 — 943. Nunquam sane satiari possumus prospera hac conditione nostra: haud multo enim abest periculum, in quod facile incidit fortunae navis. Et ibi quidem si partem quaestus eiecit anxietas tantam, quanta opus est, servatur navis calamitate pressa: postea vero Iovis favore seges annua ea quae amissa sunt restituit.

V. 929. Sane quidem iam huius multae sanitatis

finis minime poterit satisfacere. τᾶς πολλᾶς indicat certam quampiam integram felicitatem, eam quidem, quae nunc parta est Atridis. Quae dicitur ὑγιεία, ut quaeris noxa νόσος. Respicit vero his verbis chorus ea quae professa est Clytaemnestra tum de opulentia domus (v. 893 sqq.), quam nunquam interituram esse confidit, tum de ea fortuna faustissima, quae in ipso regis reditu posita est (v. 827 sqq. 898 sqq.): ut omne periculum iam posset oblivioni tradi (834), et ne de ipsa quidem invidia quidquam amplius timendum esset (836, 871). Fatendum est choro magnam esse hanc felicitatem, multa videri sana, at scit ille, quam prope absit morbus. Itaque concitato haec proferuntur animo, id quod tum e rhythmis, tum e cumulatione particularum apparet. Etsi enim non potest haec conditio non appellari sana, si multorum eorum, quibus medelam allaturus est regis reditus, ratio habetur: tamen temeritas quaedam in hac sanitatis iactatione inesse choro videtur, quum non expiatum sit regis crimen inexpiabile. — ὑγιείας ultimam corripit ut Ἀργείων v. 177.

V. 930. ἀκόρεστον, quod non satiat, non satisfacit. Iungendum est μάλα ἀκόρεστον, nunquam admodum satians, nunquam ita satisfaciens, ut terminum ponere possimus et dicere, nos non desiderare maiorem. Eodem sensu v. 1252: τὸ μὲν εὖ πράσσειν ἀκύρεστον ἔφυ πᾶσι βροτοῖσιν. Sententiam eandem professa est in singulis occasionibus Clytaemnestra v. 458: communi ratione Theognis v. 227: πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνθρώποισιν et v. 1158: οὔτε γὰρ ἂν πλούτου θυμὸν ὑπερκορέσαις. — νόσος γὰρ cett., urget enim nihilominus morbus vicinus parieti conterminus. Egemus hoc loco particula adversativa, quum sententia exhibeatur prioris rationem reddens, positam eam in re conditioni modo exhibitae contraria. Est nobis felicitas magna, at maiori etiam egemus, quum ipsi huic felicitati noxa tamen sit vicina.

V. 931. ἐρείδειν, hostiliter urgere, ut Soph. Ant. 1236. Ai. Locr. 14, 5. ἐρείδειν βελέεσσιν Il. XVI, 108. Pind. Ol. IX, 31.

V. 932. Cogitationum nexus universus hic est: est felicitas, sed egemus perpetua: urget vero noxa vicina felicitati minata. Fortuna hominis bene provecta saxo alliditur occulto: potest vero tunc navis servari iactura oneris: sanguis vero nunquam est re-

parandus. — Vides in his explicari cogitationem praemissam noxae quae minetur felicitati, explicari similitudine navis saxo allisae. Primum conditio domus comparatur cum felicitatis et noxae vicinia, ubi haec in illius ditionem se intrudere studet; deinde cum navi in saxum incurrente, sed onere eiecto servata. Ita scelus, quo pollutus est rex, minatur eius felicitati. Expleri possunt hae minae duabus rationibus, aut ea, ut gravi iactura frangatur domus, quae tamen reparari potest, aut morte regis. Iactura illa declaratur similitudine navis, quae saxo illisa vix servatur amissa oneris parte. In his omnia bene procedunt: displicet solummodo citior transitus a similitudine vicinarum felicitatis et noxae domorum ad similitudinem a navi petitam. Ibi requiritur cogitatio quae utramque iungat: haud logica quidem ratione, sed poetica. Nolumus statim illisam adspicere navem, quum in altera imagine tantopere exhibitus sit felicitatis splendor. Itaque de bono navigationis initio aliquid in eo qui excidit versu dictum fuisse existimo: fortasse aliquid de onere, de divitiis navi impositis, vel de quaestu, quo onustus rediturus est navigator; ad quae respiciant quae sequuntur v. 935.

V. 933. *εὐθυπορεῖν*, recta via incedere neque deflectere, Pind. Ol. VII, 91. Isthm. IV, 60.

V. 934. *ἔπαισεν*] Cf. Soph. 854 *ὑψηλὸν ἐς Δίκης βάθρον προσέπεσες, ὦ τέκνον, πολύ.* — *ἔρμα.* Ita *ἔρματι προσβαλὼν Δίκας* Eum. 564.

V. 935 sqq. Et unum quidem pro opibus quaestu paratis voluntas haesitantis eiiciens iactu bene temperante non totam submersit domum dolore valde onustam, neque navem mari perdidit. — *τὸ μέν*, unum e multis eiiciens pro reliquis. Ad hoc *τὸ μὲν* respicit *τὸ δὲ* v. 944, adiective positum, quum substantive dictum sit *τὸ μέν*.

V. 936. *ὄκνος*, haesitatio. Diu enim haesitatur, antequam revera ratum reddatur consilium eiiciendi oneris, simulac vero necessitas clare apparuerit, ipsa merces nonnullas eiicit haesitatio, ne omnes perdat.

V. 937. *σφενδόνη* de eiiciendo. — Apte confert Blomf. locum Diphili (Ath. VII, 292, A.): *ἢ φορτί' ἐξέῤῥιψ' ὑπέραντλος γε-*

νόμενος. — εὔμετρος, quia certe non plura, quam quibus omnino opus est, eiicit haesitatio.

V. 938. οὐκ ἔδυ cett.] Logicum huius sententiae subiectum est ὄκνος βαλών, et proprie dicendum erat οὐκ ἔδυσε δόμον. Quia vero hoc nunquam ex eius vel consilio vel vi proficisci potest, pro activa structura intransitivam elegit poeta, postea voce ἐπόντισε ad activam rediturus. Minime enim haesitatio navem submergit, sed pondus oneris et venti: perdere vero potest etiam illa. — δόμος de navi, ut Suppl. 135: δόμος ἅλα στέγων.

V. 940. ποντίζειν, mari perdere. Inde ποντισθεὶς Μυρτίλος Soph. El. 508.

V. 941. Multa sane donatio uberis a Iove et e sulcis annuis sustulit morbum ieiunum. Cogitatio similis Suppl. 443. Iovem segeti inspicientem vide ad v. 902. — πολλὰ γᾶς δόσις Theb. 361. Bl.

V. 943. νῆστιν cett., ἦγουν λιμὸν διεσκέδασε Schol. Aoristos posuit, quia haec omnia pro re gesta ut exemplum protulit poeta.

V. 944 — 949. Sanguinem vero semel antea morte effusum quis est qui revocare possit? Neque cunctanter eum, qui mortuis vitam restituere scivit, cohibuit Iupiter.

V. 944. θανάσιμον αἷμα, ut αἵματα εὐθνήσιμα v. 1214.

V. 945. προπάροιθε] Si quis ad servandam felicitatem vitam antea devovet pariter ut merces, haud sane earum instar restitui potest vita.

V. 946. ἀγκαλεῖσθαι de evocando mortuo Pers. 621. — ἐπαοιδὴ incantatio Prom. 173. Cf. v. 1340. — Sententia eadem quae Eum. 647 sqq.

V. 948. τῶν φθιμένων. Substantivum, quod ab infinitivo pendet, attractione iungitur cum subiecto vel obiecto sententiae casu genitivo positum. Ita Pind. Ol. III, 33: τῶν νιν γλυκὺς ἵμερος ἔσχεν φυτεῦσαι. Exempla invenies apud Bernh. Synt. p. 363. — ἀνάγειν de reducendo mortuo in vitam: Soph. Scyr. 501, 7.

V. 949. ἀναπαύειν, requiescere iubere, ut Sol equos Prom. sol. fr. 178, 8: tempestas homines χειμὼν ἔργων ἀνθρώπους ἀνέπαυσεν Hom. Il. XVII, 550. Itaque de interficiendo dictum: vide Schneider. Lex. Ita κοιμᾶν Soph. El. 509. — εὐλάβεια, cunctatio,

cantio, ut Soph. El. 994: ἐσώζετ' ἂν τὴν εὐλάβειαν, cunctabunda mansisset. Eur. Phoen. 782; τῇ δ' εὐλαβείᾳ, χρησιμωτάτῃ θεῶν. Iungenda est prima sententiae vox cum ultima, οὐδὲ ἐπ' εὐλαβείᾳ ἀνέπαυσεν Ζεὺς τ. ὀρθ. cett. Respicitur Aesculapius a Iove interemtus, quia certa lege inferis assignati sunt ii, qui mortem obierunt. Schol.: τὸν Ἀσκληπιὸν γὰρ ἐκεραύνωσεν ἀναστήσαντα τὸν Ἱππόλυτον. Cf. Hesiod. fr. 59. Eur. Alc. init.

V. 950 — 958. Nisi fines a diis praescripti me cohibuissent, ne fines meos ultra proferrem, sane haec palam professus essem. Nunc tacite mens vexatur, neque quidquam fausti proditurum esse sperat, metu concitata.

V. 951. μοῖρα, sors cuique assignata. Hanc distribuunt dii certis finibus circumscriptam, quos ultra proferre nemini licet. Quibus quum ratio reddatur, cur nihil de his curis regi dixerit chorus, non potest haec sors certis circumscripta finibus ad quenquam referri, nisi ad chorum. Hic e finibus egressus esset, quos ei assignaverunt superi, si haec professus esset. Scilicet quia nihil certi novit, id quod semper repetendum est, quia miras in hac re turbas moverunt interpretes; sed nonnisi suspicionem fovet, ortam eam tum e memoria sceleris a rege commissi, tum e iactabunda reginae blanditione. Quae rationes sane non sufficiebant ad profitendam suspicionem, certo vero ad fovendam. Si vero professus eam esset chorus, verendum fuisset, ne hac ipsa re oriretur discordia domestica, quam maxime veretur; si quidem suspecta reddita esset Agamemnoni Clytaemnestra, et fortasse ne iuste quidem: poterat enim falsa esse chori suspicio, licet maxime probabilis. Itaque omnino tacendum erat choro, donec certiora apparuerint indicia: quia ei nihil in his rebus agendum erat. Minime μοῖρα μοῖραν de fatis Clytaemnestrae et Agamemnonis, quorum alterum ab altero superandum erat, intelligi potest: nihil enim erat, unde hoc scire posset chorus, constitutam esse a superis victoriam Clytaemnestrae, neque hoc antea comperit ille, quam vaticinationem audit Cassandrae.

V. 953. προφθάσασα καρδία γλῶσσαν, animus linguam praevertens. Animus tam amans est regis, ut summo studio, quo vel linguam celerrime moveri solitam praeveniret, ei haec professus esset. — ἐχέτην γλῶσσαν Soph. inc. fr. 668.

V. 955. Nunc vero, quum tacere chorum iusserint sortis designati fines, in tenebris fremit animus, vexatus et dolore et mala spe.

V. 956. *θυμαλγής*, mente dolens, mente vexatus, ut *θυμόβορος* v. 103.

V. 957. *ἐκτολυπεύσειν*, exantlaturum esse. Vox dicta de sustinendo dolore sive labore. *ἄλγεα τολύπευσε* Hom. Il. XXIV, 7; *πόνον ἐκτολυπεύσας* Hesiod. Scut. 44.

V. 958. *ζωπυρεῖν*, metu incendere. Ita Theb. 289: *μέριμναι ζωπυροῦσι τάρβος*.

Quarto episodio v. 959 — 1369. exhibetur vaticinatio Cassandrae, universum discordiae domesticae explicans interiorem connexum, ex quo nunc proditura sit Agamemnonis mors: deinde vero ipsa haec mors cum exsultatione Clytaemnestrae. Quae partes duae, quarum prior terminatur v. 1251, posterior incipit a v. 1265, disparantur anapaestica chori oratione. Prioris partis sunt partes tres: prima v. 959 — 992, qua frustra studet Clytaemnestra persuadere Cassandrae, ut domum intret: secunda v. 993 — 1098, composita e lamentationibus (*κομμοῖς*) Cassandrae et chori, quibus illa ostenta animo modo obversantia exhibet, e quibus scelera omnia, quae in his aedibus tum commissa sunt tum nunc parantur, mente percipit: tertia v. 1099 — 1251, qua disertis verbis adulterium Thyestis, suae vaticinationis auctoritatem, scelus Atrei, Agamemnonis suamque ipsius necem Orestemque vindicem enuntiat Cassandra, et deposito vatis ornatu moritura aedes intrat. — Posterioris sunt duae partes, altera ea, qua clamore Agamemnonis audito deliberat chorus, quid sit agendum (v. 1265 — 1293), altera ea, qua progreditur Clytaemnestra exsultans de necato marito, vindicta filiae perpetrata, auxilio Aegisthi et morte Cassandrae. Quae chorus excipit lamentationibus, quibus praeparatur carmen deinde canendum (v. 1294 — 1369).

V. 959 — 992. Cassandram, ab Agamemnone aedes intrante in curru relictam, e mandato regis aedes intrare iubet Clytaemnestra e domo egressa, comiter initio; denique, quum nihil responsionis accipiat, irata discedit.

V. 959 — 970. Tu quoque introeas, Cassandra, quum in domum inter servas recipienda sis. Descendas e curru; ne super-

bias: Hercules ipse servitutem expertus est. Quae si cui ferenda est, optime fertur sub domino antiquitus opulento: qui inexspectatas divitias adepti sunt, ferociter agunt in servos; tu vero a nobis consueto more tractaberis.

V. 959. *κομίζου*] Facit quod iussit Agamemno v. 883: tota oratione ea Cassandram alloquens comitate, quam ille ut quae victorem deceret commendavit.

V. 960. *ἀμηνίτως*] ita ut nulla invidia, animo non infenso excipiaris. Ita *σὺν ἀμηνίτῳ βάξει λαῶν* Suppl. 975.

V. 961. *κοινωνὸν χερνίβων*] Ita *ποία δὲ χέρνιψ φρατόρων προσδέξεται*; Eum. 656., ubi praecedit *ποίοισι βωμοῖς χρώμενος τοῖς δημίοις*; Soph. Oed. Tyr. 240: *μήτ' ἐν θεῶν εὐχαῖσι μήτε θύμασι κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν.* Vides ubique hanc aquam, qua manus lavantur, iungi cum rebus sacris ad aram pertinentibus, itaque non esse vulgarem sed lustralem, qua lavatur is, qui sacrum facturus est. Si tota civitas tale sacrum commune facit, omnes cives hac aqua lavantur: si tota domus, omnes qui ad familiam pertinent, tum ingenui tum servi, omnesque conveniunt ad aram communem. Quae in civitate vocatur popularis, *δήμιος*: in domo *κτήσιος*, quia iis, quae possidet, floret domus. Dicata haec ara est Iovi *κτησίῳ*: Suppl. 445. Tale sacrum nunc, quum redierit rex paterfamilias, in aedibus instituitur (v. 980.), ad quod et Clytaemnestrae et Cassandrae, ut in familiam haec recipiatur, conveniendum est.

V. 963. *ἔκβαιν' ἔ* cett.] cf. 838. In curru, qui sequebatur regium, mansit Cassandra, ornata coronis et lituo, vatis ornamentis (v. 1186). Ita quod immota sedet ea, neque salutat accedentem reginam et cito eius iusso introeundi obtemperat, miratur Clytaemnestra: itaque addit *μηδ' ὑπερφρόνει*. Initio tamen hanc superbiam, quam e desperante animo ortam existimat, comitate superare studet.

V. 964. Herculem Omphalae venditum vide Soph. Trach. 250 sqq.

V. 965. *πραθέντα τλῆναι*] participium pro infinitivo, ut *τλῆναί σε δμῶαν* Soph. El. 943. Huc non pertinet id quod interpretes afferunt Theb. 755: ubi non *ἔτλα σπείρας* iungendum, sed *ἔτλα ῥίζαν*. — *βία* passive iunctum cum verbo, ut Suppl.

943: *ἐκδοῦναι βίᾳ.* Cf. ib. 849, 863. — *ζυγῶν*, ut v. 995, 1147.

V. 966. *ἀνάγκη*, vide v. 197. Cf. Choeph. 75., de ipsa captivitate: *ἀνάγκαν γὰρ ἀμφίπτολιν θεοὶ προσήνεγκαν.* — *ἐπιῤῥέπειν* v. 656.

V. 967. *ἀρχαιόπλουτα πατρὸς εἰς ἑδώλια* Soph. El. 1393. BL. Poetae sententiam clarissime prosequitur philosophus Rhetor. II, 32: *διαφέρει δὲ τοῖς νεωστὶ κεκτημένοις καὶ τοῖς πάλαι τὰ ἤθη τῷ ἅπαντα μᾶλλον καὶ φαυλότερα τὰ κακὰ ἔχειν τοὺς νεοπλούτους· ὥσπερ γὰρ ἀπαιδευσία πλούτου ἐστὶ τὸ νεόπλουτον εἶναι.* STANL.

V. 968. *ἤμησαν καλῶς· ἤγουν ἐπλούτησαν καλῶς ὡς ἐκ θερισμοῦ.* Schol. Vides, quam saepe a messi divitias repetat poeta. Cf. 941. Eum. 924.

V. 969. *παρὰ στάθμην· ἀντὶ τοῦ παρὰ τὸ πρέπον.* Schol.

V. 970. *οἷα νομίζεται*, quae usus fert, ut Eum. 32.

V. 971 — 973. Diserte haec locuta est: tu vero, quum sis captiva, obtemperes, si obtemperatura es, quod sane haud videtur.

V. 972. *μορσ. ἀγρ.*, retia sortis, ut *δουλείας γάγγαμος* v. 335.

V. 973. *πείθοι' ἄν* cett.] ut *χαίροιτ' ἄν, εἰ χαίροιτ'* v. 1316. WELL. — *ἴσως* obtinet vicem particulae *ἄν*, ut *ἴσως — μόλοι* Suppl. 727. WELL. [„sine conditione dictum *ἀπειθοίης*, quod id putat futurum esse chorus.“ Herm. de part. *ἄν*. lib. III. cap. 6.] Superbia haec, qua dolore oppressa nihil respondet Cassandra, eadem est, quae Iolae, post captam patriam urbem in toto itinere nihil locutae: Soph. Trach. 322 sqq., cui non irascitur mitior Deianirae animus: ib. 331: quum mox succenseat Clytaemnestrae ira v. 988. Lenius agit chorus v. 993. Neque tamen sola superbia tacet Cassandra, sed quia iam urgetur impetu accedentis divini flatus.

V. 974 — 976. Atqui nisi solam ignotam barbaram linguam scit, ei hoc persuadebo, quod prudenter dico.

V. 974. *χελιδονίζειν* de barbara voce fr. 440. Hesych. *χελιδόσι. τοὺς βαρβάρους χελιδόσιν ἀπεικάζουσι διὰ τὴν ἀσύνθετον λαλιάν.* Cf. Herod. II, 57. BL. Quod e Procne in barbara terra in hirundinem mutata hunc usum repetit scholiasta, ineptum est huius ipsius commentum. Alii etiam sonus cum barbara voce comparantur, ut capistrorum equi Theb. 463.

V. 976. *ἔσω φρ. λέγουσα*, quum prudens dicam: quum non vaga et incommoda proferam, sed apta tempori. Opponitur *ἔξω φρενῶν, ἐκπλαγῆναι φρένας* de insano: Choeph. 233. Ibique *ἔνδον γενοῦ* de componenda mente. Verum vidit Bothius, quum reliqui locum interpretentur: ita loquens ut intelligat. At *ἔσω φρενῶν* semper de eius mente dicitur, qui id agit, quod indicat verbum: ita *ἔσω φρ. γράφου* Phil. 1325. — *λέγουσα πείθω λόγῳ*, verbositas similis ei, quam invenimus v. 880. *σωματοφθορεῖν ποσὶν φθείροντα*, et *σοῦ μολόντος — σημαίνεις μολών* v. 901.

V. 977 — 978. Sequere; dicit enim tempestiva: obedias, linquas sedem. *τὰ λῷστα* cett., optima eorum, quae tempus fert. Quum decreta tibi sit servitus, in hac conditione optimum est obedire comi domino. — *τὰ παρεστῶτα*, res praesentes. Prom. 216.

V. 979 — 985. Non est mihi otium commorandi apud hanc ante foras: coactae enim iam sunt oves ad sacra facienda pro hac inopinata felicitate. Tu vero, si obtemperatura es, ne cuncteris: sin autem me non intelligis, manu hoc designes. — *θυραίαν*, quae extra ianuam versatur (Soph. Trach. 533). Patet hoc referendum esse ad Cassandram, non ad Clytaemnestram. — *πάρα* referendum ad *θυραίαν τήνδε*, minime dictum pro *πάρεστι*.

V. 980. *μεσομφάλου*] Focus dicitur umbo domus, ut Pytho umbo telluris. Propterea ibi ipse telluris focus esse dicebatur et quotidie sacro ritu ornabatur focus et colebatur Vesta. Cf. Hymn. Hom. in Vestam XXIV. — Vocem vide Choeph. 1036. Theb. 747. — Agamemnonem inter sacrificia occisum refert Hygin. f. 117. Aeschylo vero in lavando, sed parato sacrificio, interimitur. — Genitivus locum designat, a cuius regione alter locus determinatur: stationem acceperunt a regione arae, stant circa aram. Cf. Bernh. Synt. p. 137. Rost. Gr. p. 524 sq. Ita Hom. Il. IX, 219: *ἷζεν τοίχου τοῦ ἑτέροιο*, ad alteram parietem.

V. 981. *σφαγαὶ πυρός*, mactatio igni hostiam decernens, ignis gratia instituta. In qua dictione id insigne, quod sententiae subiectum notioni accusativi *σφαγὰς* subiicitur. In formula *πρὸς μαχάρων λιτὰς ἤρθην* eadem intercedit ratio inter genitivum et accusativum, sed simplex est huius accusativi vis: preces a diis auditae; hoc loco duplex, quae ibi esset, si sensus esset: excitabar ad preces me superis devovēntes.

V. 984. *εἰ δ' ἀξυνήμων* cett.] Etsi enim concinnam orationem male intellexisset Cassandra, non poterat non scire multa verba singula et ita eorum, quae nunc dicit regina, sensum percipere. Recte Schützius: ista dicens regina ipsa nutu, gestu, vultu sermonem adiuvabat. — Cuius artis excolendae fieri non poterat quin plurimae in bellis Persicis occasiones offerrentur. — *δέχεσθαι*, percipere.

V. 985. *κάρβανος* Suppl. 118, 914. — Licet, pariter ac omnes tui mores, manus etiam barbara sit, huius tamen signa intelligemus.

V. 986 — 987. Interprete egere videtur haec peregrina: agit vero instar ferae recens captae. — Respicit chorus vehementes Cassandrae motus ab urgente concitatos furore. — *ἑρμηνέως τοροῦ* vide v. 574.

V. 988 — 992. Insanit profecto et pravae est mentis, quae quum ex urbe capta veniat, frenum ferre recusat, usque dum sanguis exspumabit. Nec pluribus dictis me sperni sinam.

V. 988. *κλύειν*, regi, obedire. Eadem metaphorica ratione Suppl. 717.: *πρῶρα οἴακος κλύουσα.*

V. 991. *πρὶν* cett.] *ἀπὸ τῶν στρηνιώντων ὑποζυγίων, ἃ οὐκ εἰκοντα τῷ χαλινῷ ἀφρίζει μετὰ αἵματος.* Schol. Tendit vero haec oratio etiam ad mortem Cassandrae cum Agamemnone parandam: neque improbabile est nunc demum in animo Clytaemnestrae decerni hoc consilium mulieris regi addendae. — *μένος*, vehementia, qua contra frena pugnat equus, spuma cum sanguine evocatur. Ita Theb. 393. *χαλινῶν καταθμαίνων μένει.*

V. 992. *ῥίπτειν λόγους* Prom. 312.

V. 993 — 1098. Quum in aedes regressa sit Clytaemnestra, divino furore correpta lamentationes fundit Cassandra de sceleribus, quae domum sibi intrandam polluant (— 1011). Memorat in his domesticam caedem, suspendium, liberorum carnem a patre comesam, quae omnia recognoscit chorus (— 1024): deinde novam calamitatem, maritum lavatum a coniuge, rete adhibitum, taurum a vacca occisum, quae terrorem dubitanti choro iniiciunt lamentationibus enuntiatum (— 1060): deinde suam ipsius mortem, sorte lusciniae duriorem, de quibus quum ipsa pariter atque chorus planctum ediderit, conqueritur de fato Troiae et de sacris

a patre institutis, quae neque illum neque se ipsam servaverint (— 1098).

V. 993 — 995. Equidem ei non irascor motus misericordia. Descendas, o misera, a curru, cedas necessitati.

V. 996 — 999. Eiulatu Apollinem invocat Cassandra: quod miratur chorus, quum huic deo non apta sit lamentatio.

V. 996. *ποποῖ* ortum dicunt e voce *πόπος*, quae deos significet. Quod factum esse potest: certe vero in vulgari usu haec vox nihil est nisi exclamatio mirantis vel dolentis. Num idem statuendum sit de voce *δᾶ*, incertum. Haud dubie haec terram designat, id quod refert scholiasta: *δᾶ γῆ δωρικῶς· ὅθεν καὶ Δημήτηρ, οἷον γῆ μήτηρ. προαναφωνεῖ δὲ τὰ ἐσόμενα.* Quibus Tellurem principem vatem (*πρωτόμαντιν Γαῖαν* Eum. 2.) designare videtur: de qua hoc loco vix sermo esse potest. Eadem vox Prom. 568.: ubi apta est terrae mentio, ut quae spectrum Argi in sese cohibere possit. Praeterea conferendus est locus Suppl. 890.: *ὄτοτοτοί· μᾶ Γᾶ* cett. Ibi quoque munus avertendi et coercendi tribuitur telluri: *φοβερὸν ἀπότρεπε.* Cf. Choeph. 45.: *ἰὼ γαῖα μαῖα, χάριν ἀπότροπον κακῶν* cett. Hoc vero loco nihil amplius averti potest, certa sunt omnia et decreta: itaque transisse haec vox videtur e designatione Telluris in exclamationem hoc loco pariter atque Eum. 841 et 874.: *οἵ οἵ δᾶ φεῦ*, ubi etiam non conspicitur idonea mentionis Terrae ratio: ut in his non cogitetur de Tellure, minime vero eam significationem vox amiserit, sed ipsa ea posita sit, ubi ratio fert. Ita apud nos in vulgari sermone saepissime usurpantur exclamationes, quibus subest sensus, de quo non cogitatur hoc temporis momento. Fit hoc potissimum in mutilatis virorum sanctorum nominibus, quorum ratio parum differt a vocibus *ποποῖ* et *δᾶ*. — Haud dubie, dum haec exclamat, furore concitata surgit Cassandra, quae adhuc sedit (v. 978).

V. 998. *ὀτοτύζειν· θρηνεῖν.* Hesych. *ὀτοτύζεται δ' ὁ θνήσκων* Choeph. 327. Vox formata ut *φεύζειν* v. 1239., *αἰάζειν*, *ὤζειν*, *οἰμώζειν*, *δυσοίζειν* (1237). — *Λοξίου.* Loxias Apollo in iis solummodo rebus appellatur, quae ad oracula et vaticinationes pertinent: quod facile percipitur comparatis indicibus in tragicos. Itaque nomine respici hanc artem probabile est. Derivant hoc interpretes a *λοξός*, ambiguitatem designatam existimantes. At

tum infelicissime hoc nomine uterentur tragici, ubicunque de clarjs et diserte enuntiatis oraculis dicunt, ut Choeph. 269, 558, 900, 1030, 1039 cett. Possunt quidem verum sensum ignoravisse, sed probabilem nemo hanc opinionem iudicabit, qui secum reputaverit, quam facile hic sensus in voce reperiatur. Itaque idoneam non video rationem, cur huius erroris accusemus tragicos: sed potius a vetusta vocis *λέγειν* forma Dorica vel Phocica vocabulum esse derivandum et recte derivatum a tragicis existimo.

V. 999. *θρηνητής*, quia *ὀτοτύζειν* idem quod *θρηνεῖν*. Nonnisi in mortuis et desperatis haec exclamatio usurpatur: quorum res non pertinent ad Apollinem, deum laetum et illustrem, sed ad Orcum, ad Furias, reliquos. Ille *αἱματηρὰ πράγματ' οὐ λαχὼν* (res, ubi iam effusus est sanguis (nam id ipsum est *αἱματηρὸν πρᾶγμα*), quum eum, qui occisurus est aliquem, bene adiuvare possit Apollo): Eum. 715. Ita Stesichorus: *μάλα τοι μάλιστα παιγμοσύνας τε φιλεῖ μολπάς τ' Ἀπόλλων· κήδεα δὲ στοναχάς τ' Ἄϊδας ἔλαχεν.* Eadem ratione postea dicitur *οὐδὲν προσήκων ἐν γόοις παρασταθεῖν*: malisque verbis uti dicitur qui lamentatione eum invocat. In iis solum malis invocari potest, quibus nondum omnino fractus est homo, ubi restituendae et augendae sunt vires ope divina eoque auxilio avertendus adversarius: ibi apparet Apollo *Παίων*, *ἀποτροπαῖος*, *σωτήρ*: ubi vero non amplius restitui potest salus, non reparari vires, ibi nihil negotii est Apollini. *θρηνητὴς* idem quod *θρηνητῆρ* Pers. 938.

V. 1000 — 1003. Repetita eadem eiulatione et invocatione improbat chorus, quod sine religione talia cum deo memorat eo, cui non est munus auxilii in lamentationibus ferendi.

V. 1003. In voce *γόος* semper inest cogitatio lugendi de mortuo, nunquam nuda querelae vel lamentationis notio. Id quod rationem reddit eam qua dicitur *ζῶσα γόοις με τιμῶ* Suppl. 116., in quibus satis fortis inest oppositio.

V. 1004 — 1011. Profitetur Cassandra lamentationis causam: eam, quod se ab Apolline perditum iri intelligit, quum ab eo in hanc domum sit adducta. Divinum afflatum observat chorus.

V. 1005. Utriusque nominis, quo Apollinem invocat, rationem est redditura, vocabuli *ἀπόλλων* v. 1006., vocabuli *ἀγυιάτης* v. 1011. Apollini *ἀγυιάτῃ* vel *ἀγυιεῖ* dicata erat columna obelisco

similis ante aedes posita: qui usus ex antiquissimis temporibus videtur esse repetitus. Non potest non subesse huic mori eadem cogitatio, quae Apollini antistiti, *προστατηρίῳ* (cf. Soph. El. 637., Tr. 209. Dem. Mid. 15, d. Corp. Inscr. 112, 113). Qui sanitatem restituere cogitabatur, ut *ἀγυιεὺς* bonam fortunam (Dem. Mid. 15, d.). Sed nulla in vocabulis inest ratio, cur his finibus notiones coerceamus: est illud unum e muneribus dei antistitis, hoc unum e muneribus dei vialis: in universum ab utroque idem exspectatur, ut vires et robur familiae tueatur, alat et ornet deus validissimus, quod quidem fieri non potest nisi asservanda tum sanitate tum bona fortuna. Vocabula antistitis et vialis nihil spectant nisi locum, ubi posita est imago, neque ulla inter ea et muneris rationem intercedit ratio interior: ante aedes vero posita est, ut omnibus aedibus divina tutela sit communis, pariter ut ea numina quae in foco collocantur; nihil enim toti domui magis est commune quam focus et introitus. Huic Apollini viali, qui nihil est, nisi positus in via ante aedes, tuiturus familiae robur, propter ipsum cognomen munus aliud assignavit Aeschylus, munus ducendi in itinere. Quod ne ita intelligas, quasi, ubicunque de viali Apolline cogitavit, cogitavisset de ducente: sed hoc loco fecit, et ne ex sua quidem mente, sed e verbis Cassandrae, quae in dolore suo ludit his verbis et vocabulis. Verisimile est columnam viali Apollini sacram ante aedes regias positam fuisse in ipsa scena: qua conspecta recordatur Cassandra eiusdem imaginis quondam ante regiam Priami positae. Iam quum in utroque loco positum esset signum dei vialis, quamvis minime ad viam pertinens, facile oriebatur ea in mente Cassandrae cogitatio, deum vialem, qui vates omni vatis sorti prospiciebat, sese duxisse in hac via ab illis aedibus usque ad has, quarum robur et potentiam una cum se ipsa nunc defendendi loco destructurus est. Vialem Apollinem aedium tutorem vide Eur. Phoen. 631.: *καὶ σύ, Φοῖβ' ἄναξ Ἀγυιεῦ, καὶ μέλαθρα χαίρετε.* Cf. Dem. Mid. 15, d. Paus. I, 31, 6. Aristoph. Thesm. 488. De forma vocis cf. Steph. Byz. *Ἀγυιά· Ἀπ. ἀγυιεὺς, καὶ ἀγυιάτης, τούτεστιν ὁ ἐφόδιος. — ἀπόλλων ἐμός.* Vides Aeschylum derivantem vocabulum Apollinis a verbo *ἀπολλύναι.* Et vix credibile est ullum hominem Graecum abstinuisse ab hac utriusque vocis comparatione. Si nemo ab hac omnino abs-

tinere poterat, statuendum est omnes Graecos, quum Apollinis nomen audirent, cogitavisse de perdendo: unus alterve si erat qui dubitaret, eius nulla habenda est ratio. Neque si alia respiciuntur eius vocabula, *Παιὼν* Icilius, *Λύκειος* Lupercus, *Ἀγρεὺς* Praedator, eorum diversa est ratio. Itaque causam non video, cur spreta ea derivatione, quae est simplicissima et Graecis certe probata, aliam quaeramus. In omnibus, quaequae agit Apollo, cernis vim dei validissimi nunc hoc nunc illo modo ostensam. Vim divinam inter et humanam duplex omnino intercedit ratio: vis humana a divina aut augetur aut perditur: augetur eius, qui pio deum colit obsequio, perditur vis rebellis. Vis augens ea esse debet, quae maior sit quam aucta omnis: quae, quum omnis mortalis aliquo labefactetur vitio, sola sit integra. Itaque vix aptiora excogitari possunt deorum, quorum peculiaris est vis divina, vocabula, quam vis integra et vis perdens, Artemis et Apollo. Quorum universam rationem alio loco exponam. — Ceterum morem illum rationis, qua agat deus, ostendendae in eius vocabulo non solo hoc invenimus exemplo apud Aeschylum. Cf. Theb. 145.: *καὶ σὺ Λύκει' ἄναξ, Λύκειος γενοῦ δατῳ.* Eadem, qua hoc loco, ratione coniunguntur Apollo et *ἀπολλύναι* Eur. Phaeth. fr. II, 2, 12.

V. 1006. *οὐ μόλις*, non vix, id est omnino, prorsus. Cf. Eum. 864. — *τὸ δεύτερον.* Nunc morte eam perdit, antea eo artificio, quo vaticinationibus eius fidem demit (v. 1131). Scholiastes primam vicem ad servitutem refert. Eam vero non misit Apollo.

V. 1008. *παρ' ἕν*, quod optima omni nititur auctoritate, equidem retinui, etsi exemplis probare nequeo hunc usum. Atqui si *παρ' οὐδὲν* significat ita ut nihil, de eo quod ut nihil aestimandum est (cf. v. 207), *παρ' ἕν* est ita ut unum, de eo, quod arctissime iunctum habetur. Manet divinum servili menti inseparabile. Scilicet quae mens divinum semel concepit afflatum, nullo infortunio ita frangitur, ut eum amittat. — *παρ' ἕν* diverso certe sensu Plut. T. II. p. 222. F. *οὐ παρ' ἕνα τῷ Σπάρτᾳ*: alio etiam apud Dionem Chrys. Or. IX. p. 293.: *παρ' ἓν μόνον βῆμα εὐδαίμων γέγονας.* Dixeris h. l. *παρ' ἕν* positum esse ut *εἰς μίαν βουλεύειν* apud Homerum, *εἰς ἕνα καθεύδειν.* F. l.

V. 1012 sq. Chorus, horrorem in Cassandrae quaestione positum non intelligens, mente captam nescire putat, ubi versetur, et hac ratione respondet.

V. 1014 — 1016. Lamentatur Cassandra de domo diis invisa, cuius invidiae domesticas caedes, suspendia, sparsum sanguinem conscios invocat testes.

V. 1015. *μισόθεον*, *ἄθεον*, *θεοστυγές*. Schol., ut *δύςθεον μίσημα* Soph. El. 289. *θεῶν στύγος* Theb. 653. Ch. 1028. Minime deorum osor (ut Well. Ind.), quod de mortali aevi heroici dictu ineptum. — In iis, quae sequuntur, interpretationem unice veram debemus Lachmanno. *συγίστορα* est nominativus, praedicatum subiecti *κακά*. Conscia sunt multa mala domesticarum caedium mala, suspendia cett. Alioqui neque ferri posset *ἀρτάναι*, neque ipsum *συνίστορα*, quod accusativum non magis regere potest, quam *συνειδέναι*.

V. 1016. *αὐτοφόνος*, qui domesticam perpetrat caedem, minime qui se ipsum interficit, qui sensus ne in verbo *αὐτὸς* quidem inest. Eadem significatione Theb. 850. de fratre fratrem, et Suppl. 66. de matre filium occidente: eadem *αὐτοφόντης* Soph. El. 272. Eur. Med. 1269. Quaenam designentur domesticae caedes, facile intelligitur, et postea diserte indicatur: nex filiorum Thyestis, quos mactavit Atreus et patri comedendos apposuit (v. 1021). Atqui *πολλὰ* dicit poeta: cui non sufficit caedes puerorum: sed satis certum est alias etiam domesticas caedes statuisse Aeschylum in domo Pelopidarum. Potest iam poeta cogitavisse de Chrysippo, Pelopis filio, a fratribus Thyeste et Atreo, quos mater Hippodamia incitavit, interemto (Hygin. 85.): id quod statuit Bothius, suspendium statim memoratum referens ad mortem Hippodamiae, quam, quum Pelops se argueret, se ipsam interfecisse tradidit Hyginus. At est duplex ratio, cur hanc opinionem reiiciam: tum ea, quod Atreum et Thyestem non Pelopis sed Plisthenis filios cogitavit Aeschylus (vide ad v. 1485.): tum ea, quod omnium, quae vaticinatur Cassandra, tam pristinorum malorum tum futurorum origo collocatur in adulterio Thyestis et vindicta, quam sumsit Atreus (v. 1113). Itaque, nisi omnia perturbari sinis, de Hippodamiae morte cogitari omnino non potest. An de nece Chrysippi, modo ne eius fratres, sed patrueles sint occisores,

cogitaverit poeta, certo definiri nequit, quia, etsi proprie de liberis Thyestis dicit Cassandra, praeter hos etiam alia multa inesse possunt in hoc dicto *πολλὰ αὐτοφόνα κακά*: nonnulla certo insunt. Videtur tamen hoc quoque longius repetitum, et simplicissimum erit statuere omnia, quae memorat Cassandra, quasi facta post illam principalem perniciem (*πρώταρχον ἄτην*), scelus Thyestis et vindictam Atrei (v. 1113.). Tum praeter caedem liberorum nihil inest in his verbis *πολλὰ αὐτ. κακὰ* nisi quod declaratur v. 1017 *ἀνδρὸς σφαγεῖον* cett. — *ἀρτάναι* certi non habet ad quod referatur, nisi ad mortem Aëropae, quam suspendio vitae finem imposuisse valde probabile est, etsi casu nihil de eius morte relatum invenimus in libris ex antiquitate servatis. Ne vero offendat pluralis, observandum est suspendio parari solere mulierum neces violentas, et ubicunque factio quaedam, quae rerum potita erat, ab altera devincitur, cum dominis necari servas malorum consiliorum conscias vel pellicatus vinculo cum iis coniunctas. Cuius exemplum est in Odyssea. Sola servarum mors non satis gravis erat, quae commemoraretur, addita vero voluntariae dominae neci auget saevitiae imaginem.

V. 1017. *ἀνδρὸς σφαγεῖον* cett.] Viri mactatio et solum conspersum. Quae ut recte intelligantur, quum adhuc ab omnibus male sint intellecta, ante omnia dicendum est de ratione vaticinationis Cassandrae. Vatis est sensibus claris et acutis, acutioribus quam reliquorum hominum, percipere ea, quae sunt, quae plerosque latent, et praesagire ex his certa ratione perspectis ea, quae eventura sunt. Nulla turba in hac perceptione statui potest, opus est ordine certo. E communi veterum opinione inhaeret macula caedis in domo caede polluta, quam sensibus omnibus percipit vates acutus (*εὔῤῥις* cf. 1230.): satis acutus, ut ex hoc maculārum testimonio imago eorum, quae in aedibus gesta sunt, in eius mente oriatur. Videt igitur Cassandra patratas caedes domesticas, suspendium, solum sanguine viri necati sparsum: videt infantes mactatos comesos. Haec omnia bene intelligit chorus, intelligit eam esse vatem acutae mentis (v. 1018.), probatam existimat hac praesagitione famam eius propheticam (v. 1023.): patet igitur haec omnia esse scelera iam pridem perpetrata omnibus nota (*πᾶσα γὰρ πόλις βοᾷ*). Simulac de consiliis

a Clytaemnestra paratis dicit Cassandra (iam enim haec quoque imago oritur in eius mente); chorus haeret, neque amplius se intelligere profitetur, quid significet (v. 1030, 1037). Vide iam, quam iusto ordine tota sceleris imago in animo vatis oriatur: primo universa cogitatio novi mali, quod nunquam sanari, in quo nemo opem ferre possit (v. 1025 sqq.); deinde lavatio regi parata, regina manus in parando opere movens (v. 1032 cett.); tum adiectum pallium, quod rete Orci dici possit, pariter atque ipsa uxor (v. 1039 — 1043.); porro nex ipsa, qua taurus a bove prostratus concidit in labrum (1050 — 1054); denique ipsius Cassandrae nex regiae neci addenda (1061 sqq.), gladio acuto patranda (1070 — 1073.), qua deducenda est ad Cocytum (1082. cf. 1093). Quae omnia certissime probant eundem ordinem, quo res exhibentur illae, observatum esse in iis, quae facta sunt tempore pristino. Ex his efficitur tres commemorari aedium calamitates, quae antea acciderint: necem liberorum, suspendium Aëropae et mactationem viri. Quisnam hic sit, dubitatur. Quod de Agamemnone cogitaverunt interpretes, prorsus ineptum est, quum diserte dicat chorus se novisse et intelligere haec omnia, chorus, qui nihil novit de caede Agamemnonis, ne suspicari quidem vult de ea quidquam. Itaque hic etiam, ut in suspendio Aëropae, fabulam nobis ignotam sequitur poeta. Eliciamus eam e vestigiis poetarum quam simplicissime fieri potest. Homerus (Il. II, 106.) sceptrum a Pelope Atreo traditum, a moriente Atreo Thyesti relictum, pariterque a Thyeste Agamemnoni relictum narrat. Mira est interpretum incuria, qui nihil diversi in his conspiciunt. Adde quod in Odyssea Thyestes eoque mortuo Aegisthus habitat in extrema agri Agamemnonis parte (Od. IV, 517). Haec est conditio eorum, quibus aliquid honoris tributurus est rex aliquis, quo sibi subiecti civibus nonnullis imperent: velut Phoenici supplici Peleus in extrema ditionis Phthioticae parte agros et imperium Dolopum concedit (Il. IX, 484.): quod idem adultis filiis regiis florente adhuc patris aetate concedi solere dicitur. Vides ex Homericorum carminum narratione eiectum esse Thyestem e summa potentia ab Agamemnone: neque libenter reliquisse sceptrum, sed vi coactum. Id quod concinit cum Aeschylo, qui Thyestem cum filiis superstitibus ab Agamemnone eiectum tradit v. 1522. Iam num sponte et libenter Atreum reliquisse putabis dignitatem

regiam, quae sceptro designatur, Thyesti e narratione Homerica, Atreum, cui duo erant filii, ad quos hereditarium transibat imperii ius? Haud dubie vi coactus imperium reliquit, caesus a Thyeste: qui satis imprudenter filiis vitam concessit. Idem statuit Aeschylus, neque alia statuere poterat, quum aliquid sane statuendum esset de morte Atrei. Rediit domum Thyestes, vivebat in domo cum liberis, usque dum ab Agamemnone adulto electus est (v. 1522). Quis est, qui post tale flagitium Atrei fratres una in eadem domo vivere potuisse existimet? Iam quum Thyestem in aedibus manentem inveniamus, mansisse nequit Atreus: nemo Atreum in exsilio electum tradidit, sed morientis imperium ad Thyestem transisse tradit Homerus. Mirum est, si in hoc rerum statu casu mortuus esset Atreus: quum vero diserte dicatur de caede viri, dubitari omnino non potest, quin a Thyeste sit occisus. Cuius fabulae vestigium cernitur in ea, qua Aegisthus Atreum interimit (Hyg. f. 88): quae Aeschylo non convenit, quia huic infans cum Thyeste expellitur Aegisthus. Ceterum ne quis *ἀνδρὸς σφαγεῖον* de viro caedente intelligat, monendum est caedentem Atreum non posse designatum esse, quia hic liberos Thyestis clam mactavit, solum conspersum vero apertum et manifestum scelus indicat. Neque potest cogitari de Agamemnone filiam caedente, quod scelus sane exactum, choro notissimum et in omnibus, quae domo accidunt, gravissimum est: tum quia disertam virginalis caedis mentionem vix omisisset poeta, tum, id quod gravius est, quia de iis tantum dicit Cassandra, quae in aedibus patrata sunt, quae aedes sibi indicant.

V. 1018 sq. Perspicere Cassandram ea, quae in aedibus gesta sunt, intelligit chorus.

V. 1018. *εὖρις*. Cf. v. 1230: *φόνον δόμοι πνέουσιν αἱματοσταγῆ*, et v. 1232, 1106. Eum. 247, 253.

V. 1020 sqq. *Φαντάζεται γὰρ ὁρᾶν τὰ σώματα τῶν ἀνῃρημένων παίδων Θυέστου.* Schol. Quae hoc loco brevius, postea fusius exhibentur, Thyestis liberi in tecto domus sedentes v. 1138 — 1143.

V. 1021. Liberi isti flentes mactationem et assam carnem patre comesam. Participium pro verbo finito. *τάδε*, quos conspicio.

V. 1023 sq. Cognoveramus tuam vaticinandi fa-

mam: sane vero nullos requirimus prophetas. Cf. v. 1057, 227.

V. 1025 — 1029. Vae, quid est, quod moliatur? Quodnam hoc novum onus magnum in aedibus molitur malum intolerabile amicis, quod sanari nequit: longeque remotum est praesidium?

V. 1026. *τί τόδε* cett.] Quid novi magni oneris est hoc quod moliatur. *ἄχθος* onus, molestia doloris, ut Ch. 842. Cf. Ag. 627. — *μήδεται* Clytaemnestra.

V. 1029. *ἀλκά*] Menelaus. Ad Orestem refert schol. Causa non est, cur ab Homerica fabula, quae eo tempore, quo occidebatur Agamemno, puerum dicit Orestem, recessisse putemus Aeschylum. Itaque non ab hoc exspectandum erat praesidium, sed a Menelao, qui longe aberat, delatus in Aegyptum. Ne postea quidem, ubi Orestis mentionem facit, auxilii quidquam ab eo exspectat, sed ultionem, v. 1200 sqq. Ceterum hunc locum spectat satis inscitus Hesychii articulus: *Ἀλκή· δύναμις, ἰσχύς, ἢ ἀλέξησις, ἢ μάχη. Αἰ. Ἀγ.*

V. 1030 sq. Harum vaticinationum ignarus sum; illas intellexi: tota enim urbs clamat ea. *βοᾷ· τὰ περὶ Θυέστου.* Schol.

V. 1032 — 1036. Vae misera, tune hoc perficis maritum lavando ornans? Quomodo finem dicam? Cito hoc erit. Prominent manus vicissim porrectae.

V. 1032. *τάλαινα* de scelesta vel improba Ch. 606.

V. 1034. *φαιδρύνειν*, nitidum reddere, lavando ornare. Ita *φαιδρύντρια* Ch. 759.

V. 1036. *προτείνειν*, prominere, intransitive dictum ut *πύργος τείνει* Theb. 763. *τείνοντα χρόνον* Pers. 64. *τείνουσιν πόροι* Suppl. 93. Transitive *προτείνειν χεῖρα* Soph. Trach. 1184. Phil. 1292. Eodem sensu dicitur *ὀρέγειν χεῖρα* Soph. Oed. Col. 846, 1130. Exhibetur Clytaemnestra opus coeptum sedulo parans, nunc hanc nunc illam admovens manum, ut ita paretur balneum, ut hoc sibi commodum fiat in efficiendo consilio. Etiam Ch. 426. commemorantur *ἑπασσυτεροτριβῆ χερὸς ὀρέγματα*, frequentes manus porrectiones in iis quae agit Clytaemnestra. Ibi vero potissimum de caede ipsa ictuque repetito dicitur, de quo hic nulla adhuc mentio, quum omnia certo ordine suo designentur: primo Cly-

taemnestrae consilium, deinde paratio lavationis, tum tunica admota, denique caedes. Nunc omnia in ipsa lavatione versantur. Itaque minime cogitari potest de iunctis Aegisthi et Clytaemnestrae manibus, ut fides alteri ab altero detur, id quod statuit scholiasta, quem vide in not. crit.

V. 1037 sq. Non perspexi: nunc enim haereo in vaticinationibus, quae aenigmatis obscurae redduntur. — Vides chorum se totum retinere a cogitatione ea, moliri reginam aliquid contra regem. Et ipse tamen antea metuerat, ne vita, quae nullo modo possit restitui, lueret Agamemno necem filiae (944). Sed hoc optime instituit poeta. Quae enim praesagimus mala, de iis nobis persuadere solemus nos ipsos nobis ea fingere, quamdiu fieri potest, et quamvis acerbissime curis vexemur, tamen non serio existimamus ea certo instare. Ita etiam chorus omni ratione fugit cognitionem revera eadem praedicere Cassandram, quae tacite ipse metuerat.

V. 1039 — 1043. Vae, quid ibi apparet? An rete Orci? Atqui cassis est uxor, quae socia est in paranda nece. Insatiabilis in genere hoc discordia ululatu salutet sacrificium lapidationis.

V. 1039. *τά τόδε*] *φαντάζεται τὸν χιτῶνα.* Schol.

V. 1041. *ξυναιτία*, socia in paranda nece. Non puto eam designari Aegisthi sociam, quia nulla huius adhuc mentio facta est, quanquam fiet postea (v. 1144). Sed tunica est causa mortis, tunica dicta est rete Orci, rete, quod Orcus Agamemnoni paravit, ut eum caperet. Iam addit poeta, eadem ratione, qua tunica retis nomine, cassis nomine designari posse uxorem quae orcini retis est socia, quae idem agit, quod tunica illa, ut Orco tradatur maritus.

V. 1042. *στάσις* cett.] Iam Cassandra quoque, ut antea Calchas (141.) et saepius chorus, malorum omnium originem repetit ex insatiabili interiore generis Atridarum discordia: quam tam saevam esse iudicat, ut finem non sit adeptura, nisi toto genere deleto: id quod exspectari potest ab ira populi, qui non amplius piaculum terrae Lariumque iterum iterumque per caedes domesticas contractum permissurus, solito more tumultu moto lapidatione omnes necaturus sit. Qui tumultus removens piaculum dicitur sacrificium, *θῦμα*, idque peragitur lapidatione; quod lapidationis sacri-

ficium iubilante clamore salutat discordia generi inhaerens, in ipsa hac caede fastigium et finem adeptura. Quibus simplicior haec subest cogitatio: age tendat haec discordia ad publicam totius generis internecionem. — λεύσιμον quidquid in lapidatione agitur et fit, ut v. 1532 δημορρίφεῖς λευσίμους ἀράς, et ut λευσιμὸν μόρος Theb. 199., minime vero id quod lapidatione dignum.

V. 1044 — 1049. Quamnam Furiam hanc aedibus acclamare iubes? non me exhilarat oratio. Ad cor advolvitur sanguis frigidus, cuius motui in morte una cum vita finis imponitur. Cita est pernicies.

V. 1044. Quum antea nihil in vaticinationibus novis intellexerit chorus, nunc quum discordiae domesticae meminerit Cassandra, horrore corripitur, quia hanc ipse etiam metuerat, neque amplius dubitare potest, quin maneat domum aliqua calamitas.

V. 1045. ἐπορθιάζειν respiciens ὀλολυγμόν, ut v. 29.

V. 1046. κροκοβαφὴς σταγών, sanguis, qui ex opinione vulgari in terrore ad cor recurrit. Virg. Georg. II, 484.: frigidus obstiterit circum praecordia sanguis.

V. 1047. Sanguinis gutta, quae letalis affusa finem facit una cum occidentis vitae radiis. Optima est Dindorfii emendatio, quae omnino removet mentionem hastae metro pariter et sensui molestam, intrusam, ut videtur, a librario. Nihil dicitur de sanguine effuso, sed ad cor recurrit sanguis frigidus prae timore eadem ratione, qua hoc fieri solet in momento mortis. πτώσιμος ut de effuso dictum putemus non magis oportet, quam in loco Theb. 834.: κακόν με καρδίαν τι περιπιτνεῖ κρύος: πτώσιμον est quidquid caducum est, hoc loco circumfusum. Signum mortis est frigor in cor pertinens, idem sensus in terrore.

V. 1048. ξυναντύτει, finem facit circuitus. — αὐγαῖς, quia tamdiu vivit aliquis, quamdiu solis radios conspicit. Cf. Pers. 710.

V. 1049. Cito adfuturam sentio calamitatem, quam remotam fore speravi, commotus iam hac vaticinatione.

V. 1050 — 1054. Vae, en, retine taurum a bove: quae captum in vestibus ferit nigra machina: concidit vero ille in vas aqua repletum. Quae in labro mortem dolosam parante accidant, tibi aio.

V. 1052. Nigro cornu instrumento: vacca cornu ictum letalem tauro infert. Varia partimque cònfusa scholiastes: *τὸν μελάγκερων ταῦρον λαβοῦσα τῷ μηχανήματι τῷ διὰ τῶν πέπλων τύπτει. ἐὰν δὲ γράφηται· μελαγκέρῳ μηχανήματι τύπτει ἀντὶ τοῦ κεκρυμμένῳ. Ἄλλως τῆς μελαγκέρου βοός.* Quarum interpretationum priores ferri non possunt: prima propterea, quod *μηχάνημα* nihil est nisi instrumentum, minime instrumentum callide et artificiose paratum.

V. 1055 — 1060. Non glorior, quod has vaticinationes penitus intelligam: sed auguror ex iis mali aliquid. Quid est fauste dicti, quod vaticinationes praebeant mortalibus? imo malis praedictis timorem afferunt oracula.

V. 1055. *ἄκρος* v. 737.

V. 1056. Qui vaticinationem cum mala re comparat, malam rem iis portendi suspicatur. Ipsum enim verbum *προεικάζειν* nonnisi comparationem declarat (v. 150): quum vero e comparatione prodeat coniectatio, hanc designant verba cognata *εἰκάζειν*, *ἐξεικάζειν*.

V. 1057. Quaestio non dubitativa, sed diserte negativa: negationem enim spectat particula *γὰρ* in iis quae sequuntur.

V. 1058. Cogitatio eadem quae Homerica Il. I, 107.: *αἰεί τοι τὰ κάκ' ἐστὶ φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι· ἐσθλὸν δ' οὔτε τί πω εἶπες ἔπος οὔτ' ἐτέλεσσας.* BOTH. — *κακῶν δικαί*, quia nonnisi mala proferunt, nihil nisi timorem excitant.

V. 1059. *πολυεπεῖς*] Verbosa dicitur haec ars, ut quae omnia sua verbis proferat.

V. 1060. *μαθεῖν* nihil nisi percipere, concipere, experiri. Cf. ad v. 573.

V. 1061 — 1064. Vae me miseram! de mea enim sorte lamentationem admisceo. Quem ad finem me huc duxisti? Nonnisi ut simul moriar.

V. 1062. *ἐπεγχέασα*] admiscens dolorem de sua ipsius sorte dolori de caede Agamemnonis. Ratio cur hoc similitudine affundendi declaretur posita est in eo, quod ipsam Cassandram una cum Agamemnone occisura, eius corpus supra Agamemnonem prostratura, eius sanguinem sanguini illius admistura est regina. Itaque si quaeris, cui infundatur admistus sanguis, respondendum

est: labro, quod primo Agamemnonis, deinde Cassandrae corpus excipit. Cf. v. 1182, 1367. Recte Schol.: *συναναμίξασα τῷ τοῦ Ἀγαμέμνονος καὶ συγκεράσασα.*

V. 1063. *ἤγαγες*] Apollo. v. 1011. Cf. 1197.

V. 1064. *τί γάρ;* Quid enim facturus es? (nisi hoc). Recte Schol.: *τί γὰρ ἄλλο;* Eur. Or. 482. BOTH. *οὐδέν*, intellige *πράξουσαν*, ut *οὐδὲν ἄλλο* (*ἔπραξεν*) Pers. 209. BL. Intellecta caede Agamemnonis Cassandrae statim clarescit cogitatio se eandem manere sortem.

V. 1065 — 1069. Intelligo te divino furore correptam lamentari de sorte tua pariter atque luscinia lamentatur de sua vita infelici, semper de Ity ingemiscens.

V. 1065. *φρενομανής*, ut *φρενόπληκτος* et similia. — *θεοφόρητος*, ut *θεόφορος* v. 1074. — *θροεῖς* respicit *θροῶ* v. 1062.

V. 1066. *νόμον ἄνομον, ὠδὴν ἀηδῆ.* Schol. Quod vero hic cum *νόμον* iungit *ἀμφιθαλῆ*, patet hoc aptius referri ad *βίον*. — *οἷα* cett. Construe: *οἷά τις ξουθὰ ἀηδὼν (θροεῖ) βίον ἀμφιθ. κακοῖς, στένουσα φρεσὶν Ἴτυν Ἴτυν ἀκόρετος βοᾶς φεῦ ταλαίνας.* — *ξουθαὶ γενύες*, lusciniae, Eur. Hel. 1111. Aristoph. Av. 216. 1067. Lusciniam de Ity querentem vide Soph. El. 148. Aristoph. Av. 212. Eur. Phaeth. fr. 2. Cf. Aesch. Suppl. 65 — 68. Soph. El. 107, 1077. Ai. 628. Hesiod. fr. 82.

V. 1068. *ἀμφιθαλὴς κακοῖς* dictum ut *ἐπανθεῖν τε πόνοις* Th. 951.

V. 1070 — 1074. Vae sortem argutae lusciniae: illi enim alatum corpus dederunt dii et dulcem vitam sine lacrimis: me vero manet vulnus ferro acuto infligendum.

V. 1070. Prima nunc vice eorum, quae chorus dicit, rationem habet Cassandra: querens, quod tristior multo sit sors ipsius quam lusciniae. — *ἀηδόνος*. Priores syllabae huius vocis in pronuntiando in unam coalescunt. — *λιγεῖα ἀηδὼν* Soph. Oed. Col. 671.

V. 1071 sq. *περιβάλοντο*, circumdari iusserunt. De neglecto augmento cf. v. 170. Cum lusciniam gemere vitam malis onustam dixerit chorus, dulcem Cassandra existimat aviculae vitam. Etenim vita aerumnosa, quam gemit luscinia ita ut suam Cassandra; est pristina eius humana, non lusciniae sed mulieris:

nova est ea vita, qua plumas gerit, eaque dulcis, quia caret ratione claraque conscientia, ut iam de omnibus rebus gratis possit laetari, quibus solet laetari bestia. Lamentatur quidem, sed obscurae indulgens malorum memoriae, neque propterea prohibita a gaudiis quotidianis, quibus frui non sinit Cassandram delicatior sensus humanus, cuius signum sunt lacrimae, quae solus fundit homo: velut Io tum demum, quum formam humanam recuperavit Suppl. 579. Scholio: *εἰ γὰρ καὶ ἐν ὄρνισιν οὖσα θρηνεῖ, φωνῇ μόνῃ, καὶ οὐ θρηνοῖς*, addendum est: nec vero dolore. Talis vero vita, qua quidquid memoriae malorum exstat, dulci cantu prolatum lenitur, haud manet Cassandram, ne nuda quidem vita, sed caedes.

V. 1073. *δορί*, ut v. 1415. *ἀμφιτόμῳ βελέμνῳ*. Cf. Pind. Pyth. XI, 20. Apud Homerum solam Cassandram Clytaemnestra, Agamemnonem Aegisthus occidit Od. XI, 422. Cf. IV, 434.

V. 1074 — 1078. Unde habes irruentem hunc divinitus commotum insanum dolorem: quod terribilia haec mala voce profiteris eaque in modis concitatis? Unde habes has vaticinationes infaustas?

V. 1074. Descriptio divini furoris, qui vatem corripit. Corruptionem designat vox *ἐπισσύτους*, divinam originem et moderationem *θεοφόρους*, furorem *ματαίους*. Quibus additur *δύας*, quia suam ipsius mortem praesagit misera.

V. 1075. *τὰ δ'*] *δὲ* explicativum, reddens rationem eorum, quae antecedunt.

V. 1076. *ὄρθιος* de sono claro et concitato. Pers. 389. *ὄρθιον ἀντηλάλαξε, ἠχώ*. Inde *ἐπορθιάζειν*, exsultare, acclamare, v. 1045.

V. 1077. Unde habes fines divinae viae infausta dicentes? *θεσπεσία ὁδὸς* est via divino miraculo designata, cuius fines (id est ratio, qua facienda est via), quum in dicendo positi sint, via ipsa declaratur vaticinatio. *ὅροι* non solum de initio et exitu viae, sed omnis regula, omnes fines, quibus in dextra ac sinistra parte determinatur, ne in hanc vel illam aberretur. De voce *ὅρος* dixi ad v. 444. — *ὁδὸς* ut *οἶμος ἐπέων* Pind. Ol. VIII, 92; *οἶμος ἀοιδῆς* Hom. Hymn. Merc. 451.

V. 1079 — 1083. Vae Paridis nuptiae suis exitiales: vae pa-

tria Scamandri aqua! Tunc prope te misera ego nutribar: nunc prope Cocytum et Acherontem mox vaticinatura esse videor.

V. 1079. De perniciosis Paridis nuptiis dictum est v. 374, 652, 661.

V. 1080. *ποτόν*, ut *θελεμὸν πῶμα* Suppl. 1027. *εὐτραφέστατον πωμάτων* Theb. 309. Cf. Pers. 487. Fluminibus, quae terras hominesque alunt (Hesiod. Th. 348.) ipsae designantur terrae singulae: itaque etiam inferorum ditionis signa sunt eius flumina.

V. 1081. *ἀνύτειν*, ad fastigium perducere: quae notio modo ita consideratur, ut prematur fastigii vel finis cogitatio velut v. 1048, modo ita, ut exhibeatur perducendi ratio: itaque hoc loco de alendo et educando, cuius fastigium positum est in sanitate et maturis viribus corporis. — *τροφαῖς* respicit fluvium alentem.

V. 1082. *Κωκυτοῦ κῦμα λαχόν* Theb. 690. *Ἀχέρων*, quem transit caterva recens mortuorum, Theb. 856. Cf. Ag. 1474.

V. 1083. *ὄχθους*] *ὄχθος* et *ὄχθη* principio haud diversa colles designant: *ὄχθη* eos saepissime, quibus obsita est fluminis ripa. Sed de montibus *ὄχθη* dictum Soph. Ant. 1132: quo sensu dici solet *ὄχθος*, quod quidem de ripa dictum legitur Eurip. Supplic. 655. Etiam Soph. Trach. 524. *τηλαυγεῖ παρ' ὄχθῳ* dictum de colle in ripa Acheloi sito.

V. 1084 — 1088. Quod modo dixisti, unusquisque intelligat: correptus sum horrore, quod tu molesta fortuna querelas fundis, quae mihi animum frangunt.

V. 1084. *φημίζεται, μαντεύεται.* Hesych. *Δοξίας ἐφήμιεν.* Ch. 558. B L.

V. 1085. *νεογμός*, idem quod *νεογενής* Ch. 530. Primo quasi coniecturam, quasi opinionem protulerat Cassandra cogitationem mortis suae (v. 1064): neque vaticinationem ipsam in iis recognoverat chorus, sed lamentationem luctuosam lusciniae cantui similem. Quum deinde certius illa mortem ferro sibi inferendam praedicat (1073), crescit miratio et commiseratio chori, quae quaestionibus proferuntur, unde illa cognoverit. Nunc vero quum ab origine belli suam repetat sortem, quum diserte dicat mox sese ad inferos esse descensuram, miseratio et miratio transeunt in terrorem: quia iam omnia certo scire et diserte dicere vatem

chorus intelligit, satisque perspicit nihil mali ei posse accidere, quo non simul domui regiae inferatur calamitas.

V. 1086. *πέπληγμαι δ' ὑπαὶ δήγματι*] percussus sum morsu cruento. Alia ratio describendi terroris, quum aliam legerimus v. 1046. Morsus enim hic cordi infligitur, pariter atque ibi sanguis ad cor recurrit. Ita *καρδιόδηκτον* v. 1392. Cf. v. 723. — *ὑπαὶ* pro adverbio: infra, id est intra, sub pectore. Cf. v. 876.

V. 1087. *θρεομένας*, genitivus designans id, unde proficiscitur aliquid.

V. 1088. *θραῦμα*, id quod frangit: *θραῦσμα*, id quod fractum est, Pers. 425. *θραύειν*, frangere, iugum Pers. 196, felicitatem Pind. Ol. VI, 97.: hoc loco animum, ut Aristoph. Av. 466: *θραύσει ψυχήν*.

V. 1089 — 1093. Vae labores urbis prorsus eversae: vae sacra quae pater fecit, quae nihil iuvabant urbem. Et ego mox mortua iacebo.

V. 1090. *πρόπυργοι*, sacra pro turribus, pro moenibus oblata.

V. 1091. *ποινόμος* Suppl. 50. — *πολυκανὴς* ut *πολυκτόνος* v. 422. Eadem ratione formatum qua *δορυκανής* Suppl. 987.

V. 1093. Ego vero fervidum animum statim humi prosternam. *θερμὸς* dictum de eo, cuius animus vel superbia et impietate (ut Theb. 603), vel dolore et ira effervescit. Hic est nostri loci sensus pariter atque Ch. 272. *ἄτας ὑφ' ἧπαρ θερμὸν ἐξανδώμενος*. Cf. Soph. Ant. 88. Animus fervidus talis est, ut sese non cohibeat, evehatur supra iustos fines: itaque e communi lege deiicitur: ut Niob. fr. 146. *θυμὸς δέ ποτ' ἐμὸς οὐρανοῦ κυρῶν ἄνω ἔρπζε πλάτει*. Non potest non conqueri Cassandra, quod nulla pristinorum laborum, nulla sacrorum a patre oblatorum ratione habita se, filiarum unam superstitem, dii sunt perdituri: quas querelas fundere nequit nisi fervido animo, nec sine ulla ira. Quam spernentes neque quidquam querelis tribuentes effecturos esse deos id quod constituerant fervidumque virginis animum deiecturos bene scit Cassandra. Quod vocem *θερμόνους*, quam libri praebent, de divino furore afflata interpretantur, nullum eius usus video exemplum. Effervescit animus in vaticinando,

sed in effervescendo posita non est vaticinandi ars. Ceterum nego ferri posse illorum interpretum, qui retinent θερμόνους, explicationem, qua βαλῶ pro βαλῶ ἐμαυτὴν positum existimant. Id quod fieri non potest nisi sequente participio: quod quum in accusativo casu cum ἐμαυτὴν iunctum ponendum esset, attractionis vi nominativo dictum est, velut Theb. 1028: ἐγὼ σφε θάψω κἀνὰ κίνδυνον βαλῶ θάψασα.

V. 1094 — 1098. Congruunt haec cum iis quae antea protulisti. Et turbat quoque tibi mentem genius quidam gravi aggressu irruens in te, ut canas luctus tristificos letales; equidem nescio, quomodo haec eventura sint.

V. 1094. ἑπόμενα congruentia, convenientia, ut Pind. Ol. II, 22. — προτέροισι, v. 1064, 1073, 1083.

V. 1095. κακοφρονεῖν, animo laesum esse, ut κακόφρων animum laedens (v. 100.) vel cui laesus vel errore turbatus est animus (Soph. Antig. 1104). Itaque, si pro κακῶς φρονῶν dictum est κακόφρων, nihil impedit, quin pro κακῶς φρονεῖν (v. 859) dicatur κακοφρονεῖν. Quaerendum est, in quanam re turbatam mentem ostenderit Cassandra. Haud dubie in eo, quod fervidum dixit animum suum: qui fervor non longe abest ab improba insania. Itaque quum antea vatem agnoverit chorus et terrorem e vaticinationibus perceperit: nunc, quum ipsa de fervore dicat Cassandra, illum furorem fortasse non magis ex afflatu divino, quam e mente gravi calamitatis, qua premebatur, dolore perturbata ortum suspicatur chorus. Negare non potest divinam artem, quia pristina domus scelera perspexerat Cassandra; oritur vero cogitatio fieri posse ut non omnia, quae protulit illa, ex ea sint repetenda, quia purus non est ejus animus, id quod vatem decet, sed fervidus et ad iram in deos concipiendam pronus. Vides iam, quid sibi velit alterum illud καί: Non mera et pura polles divina arte: praeter hanc etiam genius, qui malis te oppressit, animum tibi concutit, errore perturbat, ad luctum letalem canendum te suscitat. Propterea minime auctus est chori timor ultima vaticinatione, sed potius temperatus, ut nihil dicat, nisi nescire se, quid de hac re statuendum sit. Hanc suspicionem de fide Cassandrae in mente chori ortam nisi agnoveris, omnino non intelliges ea, quae sequuntur. Commovet haec suspicio, haec de fide dubitatio, quam saepe ex-

perta est (v. 1133.), animum Cassandrae: quae iam, ut eae tollantur, omnia diserte misso omni aenigmate exhibitura est (v. 1099 — 1104). Itaque denuo explicat, quae de Thyeste significaverat, veritatisque huius facti testimonium requirit a choro, quin iureiurando etiam firmandum (v. 1105 — 1117.): quoniam metuit, ne denuo fidem initio concessam sit abrogaturus. Quibus, sed his solis, revera vincit chori animum, qui eius scientiam confitetur (1121.), fidemque ei largitur (1134).

V. 1096. *δαίμων ἐμπεσὼν*, ut *δαῖμον, βαρὺς ποδοῖν ἐνήλλου γένει* Pers. 515. Cf. Soph. Oed. Tyr. 1300, 1311. Antig. 1347. Aesch. Eum. 368 sqq. Mentis perturbatio, quam infert ille genius pariter ac Furiae, est illa *παρακοπὰ φρενοδαλής* Eum. 342. Cf. Ag. 202.

V. 1099 — 1251. Quae antea furore correpta, simulatque unamquamque imaginem conspexit, professa erat Cassandra, ea nunc rationis lege adornata choro exhibitura est, ut eius dubitationem tollat. Designat Furias aedibus inhaerentes inde a primo scelere inter Thyesten et Atreum commisso (— 1118). Miranti choro hanc scientiam res inter sese et Apollinem gestas deumque offensum et iratum narrat (— 1134). Denuo furore divino occupata exhibet liberorum spectra, quae aedibus insideant, consilium ultionis paratum ab eorum cognato, quocum coniuravit mulier scelestissima (— 1162). Quorum quum non omnia perspiciat chorus, diserte caedem Agamemnonis praedicit Cassandra, auctorem vero caedis nondum ille intelligit (— 1176). Redit Cassandrae furor mixtus cum dolore, dum adulteram illam se quoque occisuram esse memorat. Deponit sceptrum, coronas, vestem signa vatis. Sed manere ultionem, quam de patre sumturus sit vindex reversus: qua cogitatione freta firmo animo morti obviam est itura (— 1215). Miseratur chorus, id quod vanum censet illa, quae aedes introitura primo consternatur vapore, quem percipit, funebri: atqui composito mox animo vindicem salutat, neque amplius dolet nisi de communi omnium rerum humanarum vanitate (— 1251). — Haec omnia composito animo exhibitura est Cassandra: sed in cogitando de rebus singulis redit ille furor, speciem addens cuivis cogitationi: mox tamen transiens. Id quod ter fit, tum in describendis liberis Thyestis (1136); tum in exhibenda

Cassandrae ipsius nece (1177): tum ubi in eo est ut aedes intret (1228). In omnibus id agit, ut veritatem eorum, quae dixerit, choro evincat, neque huic rei adversatur, quod se non multum curare contendit, utrum fidem inveniat necne (1160.): id quod repetendum est e memoria fidei saepissime sibi denegatae (1133, 1192): postea vero denuo chorum testem veritatis eorum, quae praedixerit, suscitat (1238).

V. 1099 — 1118. Claram iam impetuque ruentem vaticinationem proferam (— 1104.), vos invocatura testes (— 1106). Manent in aedibus Furiae, quum semel ibi sanguinem effusum biberint: canunt primitivam calamitatem, adulterii ultionem (— 1114). Num verum est, quod dixi? Id tu iureiurando confirmes (— 1118).

V. 1099 — 1104. Vaticinatio iam non amplius obvelabitur ut sponsa recens nupta: sed splendida impetu proruet adversus orientem solem, ut undae instar calamitas haec multo maior ad lucem profluat: ac sine aenigmatis docebo.

V. 1099. *κάλυμμα*, velamen nuptae, ut *κάλυπτρα* Pers. 537. Cf. Suppl. 122. Pulchre designatur pudor puellae recens nuptae, quae totam se velamine tegit, ut nihil omnino conspiciatur, nisi vultus, et ne is quidem libere. Vides commoto animo haec dicere Cassandram, qui tum ex hac obvelatione densissima, densiore quam revera obtecta erat vaticinatio, tum e splendido impetu apparet, quo eum prolatura est. Cuius rei ratio apta non in dolore invenitur, sed in dubitatione chori.

V. 1101. *ἡλίου πρὸς ἀντολάς*, quod ita splendidissima ei affertur lux. — *λαμπρὸς* saepius cum *πνεῖν* coniunctum: *νότου λαμπροῦ πνέοντος* Schol. Theocr. XIII, 25. Cf. Alexis apud Athen. VIII, 338, D. Herodot. II, 96. BL.

V. 1102. Calamitas cum undis comparata etiam Suppl. 470: *ἅτης ἄβυσσον πέλαγος οὐ μάλ' εὔπορον τόδ' ἐςβέβηκε.*

V. 1103. Calamitas tecta, quamdiu tegitur vaticinatio, quae de ea refert, una cum hac prorumpit in lucem. — *τοῦδε*, quod nunc me vexat, quod tu mihi a daemone immissum censes. Multo maior est calamitas posita in caede Agamemnonis, quam omnia quibus de me ipsa lugeo.

V. 1104. Cf. Eur. Iph. Aul. 1146: *ἄκουε δή νυν· ἀνακαλύψω γὰρ λόγους, κοὐκέτι παρῳδοῖς χρησόμεσθ' αἰνίγμασιν.* STANL.

V. 1105 sqq. Atque testes estote mihi aequabili cursu naribus investiganti vestigium eorum quae olim gesta sunt. Tota similitudo petita a cane: cf. v. 1018. — *συνδρόμως* de cursu canis indagantis semper cum vestigiis congruente. *συντρέχειν*, congruere, in unum conciliari, fr. 295 (286). Soph. Trach. 295, 880.

V. 1107 — 1111. Domum non relinquit chorea canens infausta carmina. Biberunt enim sanguinem humanum, eoque eam nactae sunt potentiam, ut eiici nequeant. — Vides iam clandestinam Furiarum potentiam, quae per totam agit tragoediae fabulam, exhiberi a vate, quae veram aliis obscuram profitetur cuiusvis rei rationem et conditionem. Itaque ut intelligatur interior fabulae ratio, hic locus est e gravissimis.

V. 1107. *χορός*, ut Eum. 307 Furiae: *ἄγε καὶ χορὸν ἄψωμεν.*

V. 1108. *οὐκ εὔφωνος*, ut Eum. 308: *μοῦσαν στυγεράν.* — *εὖ λέγειν*, bona et fausta dicere, v. 409.

V. 1110. *βρότειον αἷμα*] omnis enim domestica caedes Furiis domum reddit obnoxiam. Eum. 355: *δωμάτων γὰρ εἰλόμαν ἀνατροπάς, ὅταν Ἄρης τιθασὸς ὢν φίλον ἕλῃ.* Cf. ib. 317.

V. 1111. *συγγόνων* spectat affinitatem inter Furias et scelera intercedentem. Quovis scelere gignitur Furia scelus ultura: itaque optime dicuntur congenitae, cognatae.

V. 1112 — 1114. Canunt carmine domui insidentes primitivam calamitatem, iustoque ordine aspernabantur connubium fratris, violanti infensum.

V. 1112. Ut demonstrent, quidnam sibi sit iuris, quo manere sibi liceat in aedibus, repetunt semper mentionem sceleris illius, quo primo in eas vocatae sunt.

V. 1113. *πρώταρχον ἄτην*] Quaenam haec sit, declaratur in iis, quae sequuntur. De qua re nulla omnino ferri potest dubitatio, quum et leges orationis poeticae et ratio fabulae eam requirant. Quod sunt qui de Myrtili caede (Soph. El. 509.) cogitaverint, prorsus aliena est haec a consilio poetae. Si non esset, dixisset hic de Myrtilo; at omnino nullam eius facit mentionem. Ratio in eo posita est, quod Furias quidem excitavit Myrtili amici et hospitis caedes, sed contra solum Pelopem: in domum Furias vocare potest nonnisi domestica caedes. Eiusmodi nulla

commissa est in genere Pelopidarum ante Atrei facinus: primus igitur Atreus liberis Thyestis mactatis Furias introduxit. Propterea non adulterium aspernantur Furiae, sed connubium infensum, id est vindictam de laeso matrimonio sumtam, facinus Atrei. Quamvis nefarium est Thyestis adulterium, hoc nihil ad Furias, quae nonnisi in sanguine effuso versantur. Itaque nihil auxilii a Furiis exspectandum erat Atreo, quamvis improbo facinore laeso: eius vero facinus statim ulciscuntur. Matrimonii tutelam sola gerit Iuno (cf. Eum. 214). — *ἐν μέρει*, tum quum cuique Furiarum sua carminis pars iusto ordine distributa canenda est. Cf. 312. Eum. 198.

V. 1115 — 1118. Utrum acu rem tetigi, an falsam me ducis vatem quae mendica circumvagatur? Iureiurando tu confirmes me scire vetusta harum aedium vitia.

V. 1115. *τοξότης* cf. v. 586. — *τηρεῖν* eligendo iusto tempore rei prospicere, rem adipisci. Cf. Soph. Oed. Tyr. 808. Nostrum: *abpassen, ablauern.* In qua re propria posita est sagittarii ars.

V. 1116. *ψευδόμαντις*] Qua ignominia Troiae saepe erat affecta: v. 1194. Exemplum horum prophetarum, qui cum libris a Bacide vel Musaeo repetitis domos divitum adire solebant, ubi pro praedicendis rebus futuris parvam acceperunt mercedem, habes Arist. Av. 960 — 990. Cf. Plat. de Republ. II, 364. C.: *ἀγύρται δὲ καὶ μάντεις ἐπὶ πλουσίων θύρας ἰόντες.* Qui dici solebant *χρησμολόγοι.*

V. 1117. *προὐμόσας*] Ut antea (v. 1105.) testimonium, nunc iureiurando hoc firmatum desiderat. Cuius rei nulla est ratio, nisi in indignatione, quod meritam fidem non erat adepta. — *προὐμόσας*, antequam tibi plura dicam. Testimonium iureiurando firmatum Pind. Ol. VI, 20.

V. 1118. *λόγῳ*, in oratione mea, ut apparet ex oratione mea.

V. 1119 — 1122. Iusiurandum nihil iuvabit; admirationem tibi concedo, quod tu, quae trans mare vixisti, de aliena urbe omnia cognita habes et refers.

V. 1119. Quid est, quod iurem? Neque nostrum periculum neque tuam calamitatem hoc expediet. — *παγέντας ὅρκους* Eur.

Iph. Aul. 395. γενναίως respicit rei sanctitatem et maiestatem. πῆγμα, id quod obstringit.

V. 1120. παιώνιον, salutare, constructione iunctum cum eo, quod ὅρκῳ appositum est, quia eatenus respicit ὅρκον, quatenus hic πῆγμα habetur. Cogitatio haec est: quidnam cuiquam salutis continget ex eo, quod equidem me angusto iurisiurandi vinculo obstringam?

V. 1121. Diversa lingua et dialecto disparantur tum urbes Graecae, velut Thebae ab Argis (Theb. 170.), quanquam communis agnoscitur et colitur Graeca lingua (Theb. 72), tum Graeci a barbaris (Suppl. 972). — πόλιν dictum de Argis fatisque regum Argivorum. Accusativus ἄλλ. πόλιν pendet a λέγουσαν. Solet quidem in tali constructione verbo λέγειν addi adverbium: huius vero vis hoc loco inest in iis quae sequuntur ὥςπερ εἰ παρεστάτεις.

V. 1123 — 1134. „Ab Apolline vatis munus suscepi. Antea pudor me hoc profiteri vetabat.“ — Num vel dei desiderium concitabas? Sane enim nimiis in bona fortuna unusquisque deliciis iuvatur. — „Operam mihi dabat amantissimus.“ — An rem cum eo habuisti? — „Quod quum promisissem, Loxiam decepi.“ — Quum iam instructa esses arte divina? — „Iam civibus mala omnia praedixeram.“ — Nonne tum te damno affecit Loxiae ira? — „Nemini quidquam persuadebam, ut inutilis mihi esset ars mea.“ — Nobis sane nunc ea vaticinari videris, quae fidem mereant.

V. 1123. τέλος, munus, vitae officium, negotium. — μάντις Ἀπ. 1196.

V. 1124. πρότου cett.] Antea quum, vita mihi fruendum et inter homines humano more vivendum esset, virgineo pudore vetabar loqui de amore, quem deus in me concepit, cui me satisfacturam esse promiseram: nunc, quum certa me maneat mors, nihil amplius curo mores et sententias hominum, nihil curo pudorem, sed diserte omnia illa narrabo, ut fidem mihi confirmem. Satis enim patet Troianos ideo fidem abrogavisse a Cassandra, quia nesciebant, unde accepisset artem, quum illa consuetudinem dei dissimularet. Ceterum optime hic versus priorem excipit: optime hunc is qui sequitur. Bene enim meminit Cassandra artem sibi non contigisse nisi propter amorem dei: itaque statim post men-

tionem accepti ab Apolline muneris removet vestigia pudoris quae remanserant in animo, profitendo antea, sed non amplius, sese tribuisse aliquid pudori. Hac vero sententia non interposita temeritatis aliquid inesset in interrogatione chori: quoniam ea prima signum aliquod amoris, quem foverat deus, exhibetur. Nam etsi sine amore artem puellis tribuere non soleat Apollo: potest tamen hoc facere: neque concinit hoc cum religiosa chori mente, statuere quidquam de diis, cuius non certe adest ratio. Non offendit interpretes horum versuum ordo, at non satis perspexerunt, quam egregie constitutus sit. Offendit eos locus, quo positus est v. 1126., de quo statim dicendum.

V. 1125. Num desiderio correptus erat ille quamvis deus? quamvis divina usus potentia divinoque honore? Vides haec dicta esse in honorem Cassandrae. Num tam potens erat tua venustas, ut vel deum vinceret? Itaque, etsi disertis verbis non commemorata est puella, omnia, quae in hoc versu dicta sunt, in eo versantur, ut eius venustatis vim et potentiam exhibeant.

V. 1126. Quamdiu enim bona aliquis utitur fortuna, omnibus iuvatur deliciis, magis etiam quam quod iustum est. *ἁβρύνειν* molliter et delicate tractare, deliciis iuvare et emollire. Ita v. 851: *γυναικὸς ἐν τρόποις ἁβρύνειν*, molliter et blande tractare ut mulierem. Patet hanc tractationem positam esse in blanditie et deliciis: atque satis notum est insignes puellarum delicias positas esse in amore, quo vir aliquis sibi deditus sit: neque maius esse potest gaudium, quod ex hac re percipitur, quam si deum quempiam amatorem sunt adeptae. Haec est communis antiquitatis heroicae sententia, in amore, quo a deo aliquo coluntur, honorem puellarum esse positum. Cf. Pind. Nem. X, 10. Itaque de Cassandra dictus est hic versus. Quum tu pudendi aliquid origini artis tuae subesse significes, probabile mihi videtur venustatis tuae desiderio captum fuisse eum, quem tu artis auctorem dicis, Apollinem. Summa enim erat tua felicitas, ut filiae Priami regis potentissimi et opulentissimi: talis dum floret felicitas, nimia contingere solent hominibus gaudia, quorum hoc est exemplum. — Quod quum non perspexerint interpretes, qui ad Apollinem hunc versum retulerunt et vocem *ἁβρύνεσθαι* de superbiendo explicuerunt, iure

hi contenderunt abhorrere hoc a moribus chori, quod de superbia dei dicat: itaque mutaverunt versuum ordinem, ut ἁβρύνεται πλέον chori esset de pudore Cassandrae iudicium, neque de nimia superbia, sed de nimia mollitie dictum. Vides non opus esse hac mutatione; atqui in ipsa ea explicatione est, quod non possit non displicere. Cuiusmodi est haec doctrina, quae virginalem pudorem iudicat esse nimiam mollitiem?

V. 1127. παλαιστής, qui intento animo rei cuipiam operam navat. Cf. Soph. Phil. 431. De luctante adversario Prom. 920. — πάλαισμα animi luctatio. Soph. Oed. Tyr. 879. — πνεῖν χάριν, ut πνεῖν μένος Eum. 840. Soph. El. 610. τροπαίαν φρενὸς Ag. 198. Ἄρη ib. 350.

V. 1128. τέκνων ἔργον, ut ἔργα Ἀφροδίτης. Cf. Suppl. 1038. ἔργα γάμοιο Hom. Il. V, 429. — νόμῳ, ut mos est.

V. 1132. Fraus, qua deum decepit Cassandra, haud dubie scelus videbatur choro, quod illa gratum a deo acceperat gratiam non relatura. Simile scelus Coronidi perniciem infert, quod haec, postquam cum deo concubuerat eiusque purum conceperat semen, clam alii viro morem gessit: Pind. Pyth. III, 13 sqq.

V. 1133. Fidem Cassandrae deus sustulerat, neque eam recuperare poterat haec, quia pudore coercebatur, ne omnem rem palam narraret. Itaque insanae et turbatae mentis esse videbatur, ut antea choro. Nunc vero, quum et vaticinationem de facto Atrei denuo audivisset, et artis fontem calamitatisque, quae vatem pressit, doloris que et fervoris, quem in animo eius conspexerat, rationem comperisset, omnem ei chorus fidem concedit, id quod in sequenti versu declaratur.

V. 1135 — 1162. Video spectra mactatorum liberorum (—1143). Quibus ultionem parat insidiator sumendam de Troiae debellatore, quem decepit mulier, laetitia de reditu simulata (— 1159). Haec, sive credas sive non credas, mox apparebunt (— 1162).

V. 1135 — 1143. Vae, denuo me suscitat vaticinationis labor. Videtisne infantes, qui aedibus insident, somnii imaginum instar? Qui caesi a cognatis, carnem ipsorum comesam in manibus tenent et viscera, quibus vescebatur pater.

V. 1136. ὀρθομαντεία opposita ψευδομαντείᾳ cf. v. 1116.

V. 1137. φροίμια, imagines, quae carmina vatis provocant.

Vide ad v. 31. — ἐφήμιος vox ab omnibus interpretibus reiecta, dubia sane auctoritate fulta, tamen fortasse non spernenda, si quidem in ea inesse potest sensus mandandi et suscitandi: mandant enim imagines illae cantum Cassandrae. Tum eadem est vocis radix, quae vocabuli ἐφημοσύνη Soph. Phil. 1134. Pind. Pyth. VI, 20, quod designat mandatum: ipsaque vox ἐφήμιος altera forma vocabuli ἐφήμων, a quo derivatum esse patet ἐφημοσύνην. Alioqui probarem ἐφύμνιος, accinens, ab ἐφυμνεῖν Ch. 385. Eum. 902. Pers. 393. — στροβεῖν, θορυβεῖν. Hesych. Cf. 203, 1052.

V. 1139. Simile dictum ὀνειράτων ἀλίγκιοι μορφαῖσι Prom. 449.

V. 1140. ὥσπερεί, quasi, pariter atque: ut v. 1337: ὥσπερεὶ βοτοῦ μόρον. Choeph. 753: ὥσπερεὶ βοτόν. At hoc loco non similitudo proferenda erat: neque enim caedebantur pueri quasi a cognatis, sed revera a cognatis. Quid igitur sibi vult ὥσπερεί? Tacent interpretes. Res ita se habet. Quum ὥσπερεί τι significet alteri idem quod alteri accidisse, ab altero idem quod ab altero factum, abiit haec dictio in significationem eius, quod alterum decet: velut ὥσπερεὶ βοτόν, ut bestiam decet; ὥ. β. μόρον, morte, quae bestiam decet; Soph. Oed. Tyr. 264: ἀνθ' ὧν ἐγὼ τάδ', ὥσπερεὶ τοὐμοῦ πατρὸς ὑπερμαχοῦμαι, quorum gratia equidem Laii causam in his defendam, quemadmodum patrem defendere decet. Itaque hoc nostro loco: liberi caesi, ut a cognatis caedi decet, acerbissima ironia: quoniam haec maxime nefaria est caedes. Prorsus eadem ratione dictum est ὥσπερ οὖν φονολιβεῖ τύχῃ, ut decet statum sanguinolentum, v. 1349. Adest enim ibi revera hic status.

V. 1141. οἰκείας βορᾶς, cibum quem ipsi sua carne praebuerunt. Res narrata v. 1594 sqq.

V. 1142. γέμος, quidquid implet, idem quod γόμος Suppl. 444.

V. 1143. πρέπουσ' ἔχοντες, tenentes apparent, tenent ita ut omnibus pateat.

V. 1144 — 1151. Huius rei ultionem molitur leo quidam invalidus, qui domum occupans in eius lecto versabatur, redeunti domino meo; sum enim serva. Navium imperator qui Troiam destruxit, ignorat consilia perniciosa improbae canis blandis usae verbis.

V. 1144. Nunc primo designatur Aegisthus eiusque cum regina commissum adulterium, quod sola cognovit vates, reliqui nonnisi suspicantur, et vix quidem. Ipse postea Aegisthus se caedis auctorem refert, qua exsecrationem patris Thyestis ratam fecerit (1516, 1519, 1520), ipse quoque iusso exsilio ab Agamemnone offensus. Ignaviam Aegisthi, quod non ipse caedem perficere ausus sit, saepius exprobrat chorus (1528. Cf. Hom. Od. III, 310: *ἀνάλκιδος Αἰγίσθοιο*). Propterea dicitur *λέων ἄναλκις* et postea lupus adulter, generosi leonis clandestinus adversarius v. 1180.

V. 1146. *οἰκουρός* v. 741.

V. 1147. *ἐμῷ* vi quadam in fine positum: nunc mihi etiam dominus agnoscendus est Cf. v. 14. — *φέρειν γὰρ χρὴ* cett. Insigni arte tristitiam et indignationem Cassandrae de sorte sua hic quoque significat poeta, sed leviter, quia transit ille sensus in ipsa vate nunc aliis rebus occupata. Simul ratio redditur, cur cara sit Cassandrae Agamemnonis fortuna: decet enim servas in omni re obtemperare domino eiusque voluntatem probare: itaque in luctu et gaudio cum eo consentire. Cf. Choeph. 75 sqq.

V. 1150. Respicit Cassandra blandam Clytaemnestrae orationem, cui ipsa intererat v. 787 sqq. — *φαιδρόνους*, laeto animo, ut *φαιδρύνειν* exhilarare v. 1045.

V. 1151. *τεύξεται*. Subiectum huc repetendum est *μισητὴ κύων* e praecedentibus *γλῶσσα μισητῆς κυνός*. Lingua enim non paraverat malum, sed ars clandestina: lingua propterea designat Clytaemnestram, quia, ubi cum Agamemnone convenit, hac maxime usa est.

V. 1152 — 1159. Talia audet: mulier virum occidit. Quonam iusto nomine eam designem? Dicamne amphisbaenam, vel Scyllam nautarum periculum, vel exsecrationem domesticam? Tali enim mente exsultabat audacissima quasi victoriam adepta: simulans laetitiam de reditu.

V. 1153. Cf. Choeph. 418: *τί δ' ἂν εἰπόντες τύχοιμεν*; — *δάκος* v. 756. — *δυσφιλὴς*, invisus v. 1557. Soph. Oed. Col. 1258. Vides acerbam Cassandrae in Clytaemnestram iram: dum parat dicenda convicia, iam excidit unum.

V. 1154. *ἀμφίσβαινα, εἶδος ὄφεως μακροκέφαλον, ἰσόπαχυ, τὴν οὐρὰν κολοβὴν ἔχον καὶ ταῦτα πολλάκις τὴν πορείαν ποιουμένη, ὥστε τι-*

νὰς ἀμφισβητεῖν μὴ δύο κεφαλὰς ἔχῃ. Etym. M. Ita μύραινα ἢ ἔχιδνα dicitur Clytaemnestra Ch. 994. BL. Designatur hac similitudine adulterium: quia nunc Agamemnoni nunc Aegistho dedita erat. Puto etiam in Scyllae mentione de duplici eius forma cogitavisse poetam. Omnium enim quas profert similitudinum communis est natura perniciosa: tertiae ratio praeter hanc posita est in ipsius caedis natura: neque priores huic sine ratione ipsa Clytaemnestrae scelera spectante additas et quasi casu conglomeratas esse probabile videtur.

V. 1156 sq. ᾅδου μητέρα, matrem orci, matrem mortis, quae centies mortis causa fuit. ᾅδης non de deo, sed de morte dictum, ut v. 625. Non puto haec novam designare similitudinem, sed adiecta esse ad exornandam imaginem Scyllae. Cuius rei signum est in asyndeto. — Ceterum quod cum hac dictione conferunt nostrum *des Teufels Grossmutter* vel Anglorum the devils dam: horum diversa est ratio, quia in Aeschylea non de deo infero, sed de ipsa nece cogitatur. Orci mater nemini Graecorum ut monstrum appareret. — ἄσπονδόν τ' ἀρὰν φίλοις πνέουσαν: nova et a praecedentibus diversa his verbis Clytaemnestrae appellatio continetur. Igitur Ἀρὰν scribo vel scribi posse, si cui ita placeat, concedo, ut alibi Erinnys vocatur Helena: mihi ἀρὰν sufficit. ἄσπονδον autem ἀρὰν rectissime, h. e. nulla libatione placabilem: vulgo enim placabiles putabantur. Denique φίλοις acuendum est atque erigendum pronuntiando. NAEKIUS. Egregie disputata. Non potest ἀρὰν pendere a πνέουσαν, quia nihil est πνεῖν ἀράν, neque quidquam est Scylla amicis mala afferens, cui non sunt amici neque cognati. Sed agit Clytaemnestra idem, quod agit Furia e domestica exsecratione progenita, caede caedem est ultura. Possunt quidem nonnullae exsecrationes placari, non possunt domesticae. — φίλοι, cognati, ut v. 1140.

V. 1158. ἐν μάχης τροπῇ, in momento partae victoriae.

V. 1160 — 1162. Quorum si quid non persuadeo, perinde est. Quid enim? Evenient quae instant. Tu mox commiseratus me verissimam vatem dices ipse expertus.

V. 1160. ὅμοιον v. 1326. Eur. Suppl. 1069. Herod. VIII, 80. BL. τί γάρ; v. 1064.

V. 1161. *ἐν τάχει* pertinet ad *ἐρεῖς*, non ad *παρών*. — *παρών*, praesens expertus.

V. 1162. *ἀληθόμαντις*, ut *ὀρθομαντεία* v. 1136.

V. 1163 — 1166. Thyestis epulas intellexi non sine terrore: et metus me occupatum tenet, quod revera audivi quae nunquam suspicabar. Reliqua non perspicio.

V. 1164. *φόβος*] Metus, quia intelligo te scire ea, quae latent, audivi te dicentem de malis exactis et futuris, exacta agnosco, futura sunt metuenda.

V. 1166. *ἐκ δρόμου πασών*] de errore, de omni re, quae a iusta via aberrat. Itaque tum de insania Prom. 833, tum de eo, quod ad rem non pertinet Ch. 514. BL.

V. 1167 — 1176. „Agamemnonis alio te adspecturum esse necem.“ — Bonis usura verbis taceas, o misera. — At nulla salus adest huic rei.“ — Non quidem, si aderit res: sed utinam ne eveniat! — „Tu vota, illi caedem moliuntur.“ — Quonam a viro haec calamitas paratur? — „Valde sane denuo aberravisti a sensu oraculi mei.“ — Perficientis enim rationem non intellexi. — „Bene tamen scio Graece loqui.“ — Sciunt hoc etiam Pythica oracula, intellectu tamen difficilia.

V. 1168. *εὔφημον* saepius silentium respicit. Cf. Ch. 581. Silentium Cassandrae imponit chorus perterritus. Quum enim satis perspicue illa Agamemnonem designaverit v. 1148, malumque ei paratum a muliere v. 1151, caedem viri a muliere patratam v. 1152: omnes priores removet chorus suspiciones: ne quidquam male ominati neque dicat neque cogitet. Quam religionem nihil curans nunc diserte Agamemnonis nomen profitetur vates.

V. 1169. Paeonis mentio rationem repetit e iusso chori utendum esse bonis verbis *εὐφημεῖν*. Horum enim usus nonnisi tamdiu locum habet, quam in discrimine res quaepiam versatur, in quo servatoris Apollinis auxilium adhuc speratur. Quod discrimen si in malum vertit eventum, neque a Paeone quidquam amplius exspectandum, neque iuvant bona verba, quae iam sponte vertunt in querelas *δυσκελάδους*, *δυσφήμους*.

V. 1170. *εἰ παρέσται*, sc. *λόγος*, id quod tu dixisti si revera aderit.

V. 1172. *τίνος*; a quonam viro? Inepta esset quaestio:

num a viro quopiam? Chorus, qui omnem reiecit orationis Cassandrae intellectum, nullus dubitat virum fore occisorem Agamemnonis. Pessime rem instituisset poeta, si dubitationem de hac re motam oratione Cassandrae exhibuisset, an forte mulier, non vir occisurus esset regem, neque tamen Clytaemnestrae scelus perspectum a choro. Cui aut omnia intelligenda sunt aut nihil rerum futurarum: elegit poeta id, ut nihil intelligentem fingat.

V. 1173. *αὖ*, denuo, quod plane necessarium videtur. Et Agamemnonis caedem et occisuram Clytaemnestram satis perspicue et multis verbis (hanc v. 1149 — 1159) designaverat Cassandra. Illam de Agamemnone non intellexit chorus; hoc Clytaemnestrae facinus etiam non intelligit, denuo aberrans.

V. 1175. *Ἕλλην γῆ* Eur. Iph. Taur. 341; *πατρίς* ib. 493. *στολή* Heracl. 130. alia. WELL. *πόλις* Iph. Aul. 65. BOTH.

V. 1176. *πυθόχρηστα*, quae Pytho conduntur, conficiuntur, parantur, oracula. Idem quod *πυθόχρηστα μαντεύματα*. Ch. 901. *δυσμαθῆ*, ut Prom. 661: *αἰολοστόμους χρησμοὺς ἀσήμους δυσκρίτως τ' εἰρημένους*.

V. 1177 — 1215. Vae calamitatem! Moecha me interficiet cum marito (— 1184). Depono vatis signa, quae perniciem mihi tulerunt. His ornatam irrideri vidit Apollo, qui nunc me ad caedem adducit (— 1199). At mortem nostram dii sunt ulturi. (— 1206). Neque amplius querelas fundam sed fortiter mortem obibo (— 1215).

V. 1177 — 1184. Vae quantum imminet incendium! Vae mihi, Luperce Apollo. Haec bipes leaena, quae absente leone cum lupo concubuit, occidet me: marito etiam de me adducta caedis praemium parans.

V. 1177. *πῦρ* de concitato animo, de fervore animi Soph. El. 388. Denuo iam furore corripitur vates.

V. 1178. Apollo Lupercus, deus vi invicta lupi instar corripiens et perdens. Cf. Theb. 145. Cf. ad v. 1005.

V. 1179. *δίπους* humanam formam designaturum. Ita *δίπους ὄφις* Suppl. 893.

V. 1181. Et quasi venenum miscens mei etiam mercedem (poenam quod me secum adduxit) irae addet. Comparatur ira, quam Clytaemnestra in regem suscepit, cum ve-

neno, quod misceat, quia haec ira veneni instar mortem ei allatura est.

V. 1182. Gloriatur, viro gladium acuens, quod pro me adducta eum caede ultura sit. Iam disertis verbis dicuntur ea, quae similitudine designabantur v. 1181. Iactationem gloriosam sola haec diserte dicta decent. In hac iactatione exhibenda ipsa oratio Cassandrae magis concitata est: neque mirum, quod deest copula prope ἐπεύχεται. Tota haec sententia tanquam exclamatio profertur.

V. 1185 — 1189. Cur igitur haec gero, de quibus irrideor, sceptrum et coronas vatis collo circumdatas? Te ante meam mortem frangam: abite cadentes in malam rem: haec vobis referam, aliam pro me locupletate perniciem.

V. 1186. Duplex est muneris signum, tum sceptrum, tum coronae. Ne putes pluribus eam uti sceptris, quia σκῆπτρα dixit: quo nihil significat nisi tales res, qualis est sceptrum. Quod probatur v. 1187, ubi sceptrum allocuta dicit σὲ μέν. Plures vero gerit coronas, quas memorat v. 1188 ἔτε cett.. Praeter haec duo signa veste etiam sacra ornata est, de qua dicetur v. 1191. — περὶ δέρῃ στέφη, coronae a cervice pendentes lato ambitu pectus cingentes.

V. 1187. σὲ μὲν, sceptrum. Quod frangit (διαφθερῶ), coronas in terram deiicit, ut ibi pereant (ἔτ' ἐς φθόρον πεσόντα). Quum nonnisi damno affecta sit a munere suo, damnum iam eius signis retribuit.

V. 1188. πεσόντα γ'. Bene additur particula, quia in cadendo positum coronarum exitium.

V. 1189. ἄτην] Cassandra se ipsam ἄτην, noxam, dicit: egregie: nempe per se innocentes sunt fatidici: verum quum haec omni tempore fatidicorum et vatum sors fuerit, raro ut avertant mala, sed ut fidem tum demum inveniant plerumque, quum tristi eventu comprobantur effata eorum, odium quoddam coniunctum est cum munere vatis, ita ut ipse videatur noxa esse, quia auctor quodammodo mali videtur is esse, qui primus illa sciverit vel edixerit. Id quam maxime in Cassandram cadit, cui haec fatalis erat et a deo imposita conditio, ut nunquam audiretur: quare illa, quocunque pedem infert, cladem necemque affert. Vaticinabatur Troiae: perit Troia. Accedit in Graeciam, vaticinatur: interimitur Agamemno. Quis hanc non noxam dicat?

Ceterum in verbis Aeschyli illa iam satis nota prolepsis observanda est: ornatus Cassandrae transfertur in aliam non quae iam sit vates, sed ut assumpto eo ornatu vates et noxa fiat. Veri aliquid perspexit H. Vossius, quem video legisse *Ἄτην*. At scribendum est *ἄτην* ut v. 358, 1049, 1151. Soph. Ant. 533. Eurip. Androm. 103. alibi. NAEKIUS. Adde, quod religione ea, qua cavebant Graeci, ne diceretur quidquam, quod mali esset ominis, facile augebatur invidia in vates infausta praedicentes, facile oriebatur suspicio, fieri posse, ut deus vatis tutor et auctor res ita gubernaret, ut eius oraculo responderet eventus, qui alioqui fortasse paullo melior fuisset. Dictionem, cuius ratio similis est, vide v. 1383.

V. 1190 — 1199. Eu Apollo ipse mihi exuens vestem fatidicam, quum viderit me in hoc ornatu irrisam inter amicos, ab hostibus, qui in hac vanitate concinebant. Pertuli me vocari miseram mendicam famelicam, ut vagans circulatrix. Et nunc vates me vatem ad finem abduxit in hunc casum letalem. Pro ara paterna manet catasta caesae fervida cruenta mactatione.

V. 1190. Furore fatidico, quo correpta est (cf. v. 1177), Apollinem conspicere sibi videtur privantem se ea veste, quam nonnisi eo concessit, ut ludibrio propter eam vexaretur, neque antequam perfecta sunt omnia haec ludibria, sibi exuit.

V. 1191. *ἐποπτεύσας δέ*, id quod facit quum me viderit. Cf. v. 915.

V. 1192 sq. Irrisam inter amicos, ab hostibus, tum a Troianis, tum a Graecis irrisa erat Cassandra et conviciis vexata, quia nemo noverat divinam furoris originem. Optime se habet asyndeton, quo sibi opponuntur Cassandrae amici et hostes idem agentes in vexanda virgine misera. Eleganter vero distinxit poeta: inter amicos auditur irrisio hic illic prolata, sed ab hostibus, qui nihil sentiunt miserationis. — *οὐ διχορρόπως μάτην*, qui in vano hoc ludibrio concinebant. *μάτην* pertinet ad *καταγελωμένην*. Vana erat haec irrisio, quia e divino fonte repetita erat ars Cassandrae: tamen una voce, neque discrepantes, eam vexabant amici pariter et hostes.

V. 1194. *φοιτάς*, circumvagans sine certa ratione et consilio. Ita *φοιτὰς νόσος* Soph. Trach. 980. Bacchae Eur. Bacch.

161. — ἀγυρτής. Soph. Oed. Tyr. 398 de Tiresia. Hom. Od. XIX, 284. BL. Cf. v. 1116. — καλουμένη pro καλεῖσθαι. Cf. v. 541.

V. 1196. ἐκπράσσειν, ad finem perducere, v. 540. De homine, ut hic, Soph. Oed. Tyr. 377.

V. 1197. ἀπήγαγε cf. v. 1011, 1063.

V. 1198. ἐπίξηνον, ξύλον, ἐφ' οὗ κρέα κόπτουσι, τὸ νῦν ἐπίκοπον, παρὰ Ἀριστοφάνει καὶ Δημοσθένει. Etym. M. Aristoph. Acharn. 318: κἂν γε μὴ λέξω δίκαια μηδὲ τῷ πλήθει δοκῶ, ὑπὲρ ἐπιξήνου θελήσω τὴν δέρην ἔχων λέγειν. BL.

V. 1199. κοπείσης pendens ab ἐπίξηνον, in quo nunc ei moriendum. Pro ara, ad quam pater hostias mactavit, retribuitur truncus, ad quem filia mactetur. Similis sententia v. 1090: nihil iuvisse patris sacrificia. — πρόσφαγμα Eur. Hec. 41. Iph. Taur. 458. WELL. Mactatio quae fit ante aram, ante focum.

V. 1200 — 1206. At non inultos nos mori permittunt dii. Veniet aliquis ultor noster, occisurus matrem, patris vindex, qui exsul vagus ex hac terra expulsus redibit, harum calamitatum finem suis perficiens: iureiurando enim a diis hoc constitutum est, adductum iri eum lapsu occisi patris.

V. 1200. ἄτιμος, qui ultionis honore caret. Cf. v. 380.

V. 1201. ἄλλος, alius ac nos, qui mortui iacebimus. Satis patet designari Orestem, quem chorus etiam Clytaemnestram cum Aegistho occisurum esse sperat (v. 1561): respiciens haud dubie haec Cassandrae oracula, nostrum locum pariter ac v. 1239 sq. 1246. Audito enim Agamemnonis nomine (v. 1167) non amplius dubitare potest chorus, quaenam domum maneat calamitas, neque iam amplius se avertit ab intelligendis iis, quae de Clytaemnestra, de ultore et de se ipsa praedicit Cassandra: quia iam opprimi non possunt hae cogitationes semel enuntiatae disertis verbis.

V. 1203. De conditione Orestis dictum est ad v. 813. φυγὰς dictus, ut Eum. 462. — ἀλήτης τῆσδε γῆς ἀπόξενος, eadem dictio Ch. 1042. Similis τοῦδ' ἀπόξενος πέδου Eum. 884. ἀπόξενος γῆς, e terrae hospitio eiectus. ἀπόξενος inhospitalis Soph. Oed. Tyr. 196. Illa passiva, haec activa vocis significatio.

V. 1204. κατιέναι et κατέρχεσθαι redire ab exsilio: v. 1563. Ch. 3. Eum. 462. Theb. 992. Cf. Aristoph. Ran. 1165: φεύγων

ἀνὴρ ἥκει τε καὶ κατέρχεται. — θριγκοῦν, fastigium imponere, ad finem perducere. Acerbissima enim domus calamitas posita erat in facinore Orestis, simul vero calamitatum finis. Hesychius: θριγκὸς, τὸ ἀνώτατον τοῦ τείχους, ἐφ' οὗ καὶ ἡ στέγη κεῖται. Comparat Blomf. Hom. Od. XIV, 10: ἐθρίγκωσεν ἀχέρδῳ in aedificando. Eur. Troad. 480: θριγκὸς κακῶν, malorum fastigium.

V. 1205. Iureiurando Agamemnoni vindicem dii Orestem constituunt, iureiurando, ne qua postea oriatur in uno alteroye dubitatio, num filio opitulandum sit in occidenda matre. Hoc iureiurando omnia nituntur, quae in Choephoris Oresti hoc iussum si neglecturus sit minatur Apollo Ch. 270 — 296, 1032. Confligebat enim in hac re alterum ius cum altero, pietas debebatur matri pariter ac patri, impietas in matrem commissa certa necessitate Furiis obnoxium reddebat. At si ulcisci patrem iussuri erant dei Orestem, non poterant non servare eum ab illa calamitate: itaque certi aliquid decidendum erat et constituendum, maius patri quam matri ius firma lege tribuendum, quae lex firmanda erat iureiurando e more communi. Itaque omnino carere non possumus hoc iureiurando: et nihil affectati, id quod sentire sibi videbatur Bothius, inest in eius mentione.

V. 1206. ὕπτιασμα, lapsus supinus. Soph. Phil. 822 ὑπτιάζεται, ubi schol. κλίνεται ἢ ὀπίσω ῥίπτεται. Cf. Ant. 716. Herc. fur. 979. BOTH. Notum est Homeri: ὁ δ' ὕπτιος οὔδει ἐρείσθη Il. VII, 145. alibi. Cf. Soph. Oed. Tyr. 811.

V. 1207 — 1215. Quid igitur est, quod lamenter, quum talem adspexerim Troiae sortem, tale deorum iudicium perpessos eius incolas. Ibo, mortem sustinebo. Portas has Orci appello: cupio accipere ictum letalem, ut sine palpitatu, proruente sanguine, oculos claudam.

V. 1207. κάτοικος nihil est nisi κατ' οἴκους, per aedes, in aedibus. Versatur enim in exteriore aula, quae modo aedium pars dici potest, modo ab iis disiungi. Itaque non false sed pravo vocabulo usus Schützius: κάτοικος hic ante aedes, ut supra θυραῖος (v. 979).

V. 1210. ἀπαλλάσσειν, remittere, renuntiare, urbem: quia mortuorum desinit imperium. Ceterum non ἀπαλλάσσειν est defungi, sed ἀπαλλάσσεσθαι: quod hoc loco non dictum est.

V. 1211. πράξω, eadem patiar quae urbs v. 1209.

V. 1212. Ἅιδου πύλας petitum ex Homero Il. IX, 312. — Gravi metaphora sic appellat aedium Atridarum fores, utpote in quibus mortem obitura est. SCHÜTZ. Cf. 1230, 1232.

V. 1214. ἀσφάδαστος Soph. Ai. 833. σπασμὸν μὴ ἔχων ib. SCHOL. — εὐθῆσιμα, quae facilem mortem afferunt.

V. 1216 — 1219. Multa dixisti, mulier miserrima et sapientissima. Si vero revera mortem tuam praevides, cur audacter accedis ad aram bovis instar diis adactae?

V. 1217. μαχρὰν ἔτεινας. Cf. v. 848.

V. 1218. αὐτῆς vide Not. crit. v. 1065. — Miratur chorus aequum in hoc discrimine Cassandrae animum, suadetque, ut introeundi loco fuga potius capta se conservet, antequam corripiatur a regina eiusque ministris. Cf. v. 1222.

V. 1220 — 1232. „Vitari hoc nequit, nihil lucramur tempore.“ — Tempore qui extremus est princeps habetur. — „Adest dies, parum iuvabit fuga.“ — Audacis sane es animi. — „Gloriosa mors mortali accepta est.“ — Nemo felix hoc audit. — „Vae patrem et generosos fratres.“ — Quid est, qui metus absterret te? — „Vae.“ — Cur eiulas? nisi quid animo tuo horrorem iniecit. — „Caedem spirant aedes.“ — An ita olent sacra intus facta? — „Exit vapor ut e sepulcro.“ — Non Syrium ornamentum de aedibus praedicas.

V. 1220. οὐ χρόνῳ πλέω, scil. ἔστι, quod modo dictum in οὐκ ἔστ' ἄλυξις. Nihil lucramur eo, quod tempus lucramur. — οὐ πλέω ἔστὶ dictum est ut οὐδὲν πλέον ἔστί, nil amplius est, nihil fructus percipitur, es wird nichts gewonnen, χρόνῳ, i. e. μελλήσει, cunctatione, dilatatione. ROST.

V. 1221. πρεσβεύεσθαι, προτιμᾶσθαι, prae ceteris coli, principem locum obtinere, ut in illo: κακῶν πρεσβεύεται τὸ Λήμνιον Ch. 631. Cf. Eum. 21. Est lusus aliquis in hac sententia: quum alioquin is, qui ultimus adest, minimo colatur honore, in temporis ratione hoc prorsus contrarie se habet. Similem vidimus v. 289. Similis sententia Theb. 697.

V. 1224 sq. Vide Not. Crit. — οὐδεὶς ἀκούει. De nemine hoc dicitur, qui felicem adeptus est sortem. Noli in his repre-

hendere chorum, quod solamen, quo se erigit Cassandra infringat: potius, quam hoc, inest in hoc versu sincera miseratio.

V. 1227. Quum ad aedes iam se convertit Cassandra easque adspiciat, audita simul miseratione chori de sorte vatis infelicissima, nunc, quum nihil sibi restet nisi mors, suorum meminit, quos omnes mors abripuit. Hic dolor quasi coercet gressum introiturae, id quod designatur v. 1228. *τίς σ' ἀποστρέφει φόβος.*

V. 1229. *φεύζειν* cf. 998. *ἀνοτοτύζειν* et *δυσοίζειν* v. 1237. *εἴ τι μή* cett., horror propter odiosam aliquam speciem menti tuae obversatam. BOTH. Intelligit chorus denuo aliquid vi fatidica perspicere Cassandram: inest in hac dictione quaestio comitate urbana prolata. Non diserte quaerit, sed cupit tamen scire, num quid novi horroris e nova calamitate praesagita conceperit. Causa horroris est vapor cruentus, quem vates ex aedibus exire sentit.

V. 1231. Scit chorus intus fieri sacra: iam, quum de odore caedis ex aedibus emisso dicat vates, ille cogitat de odore crematae hostiae. Hic vero suavis est, itaque miratur, quod ea loquitur de odore cruentae caedis. Cassandra vero non eum dicit odorem, quem omnes percipiunt, sed eum, quem sola sentit, emissum ex instanti caede.

V. 1232. *ἀτμὸς* de vapore molesto et venenato Eum. 138. Prom. sol. fr. 181, 6.

V. 1233. Cf. Eur. Bacch. 144. *Συρίας ὡς λιβάνου καπνός.* BL. — *ἀγλάϊσμα, καλλόνη, κόσμος.* Hesych. Quoquo utimur ad ornandas aedes, tum oculorum, tum aurium, tum narium gratia.

V. 1234 — 1241. Intrabo, intus etiam de meo et Agamemnonis fato lamentatura. Sufficiat vita. Vae hospites. Non vagio ut avis prae metu: sed ut testes huius rei sitis mihi mortuae, quando mulier pro me muliere interficietur et vir pro viro infaustam adepto uxorem. Horum testem te facio moritura.

V. 1234. Quas lamentationes si intus coram Agamemnone repetitura erat Cassandra, festinandum erat Clytaemnestrae consilium, ne antea oriretur suspicio. Neque causa erat morae, simulatque aderat Cassandra et in balneo erat Agamemno. Itaque statim post introitum Cassandrae perpetratur caedes.

V. 1237. *δυσοίζω, οὐ δυσχεραίνω, φησὶν ὡς ὄρνις θέλουσα εἰς*

καλιὰν εἰσελθεῖν καὶ θῆρά τινα φοβουμένη. Notus est vagiens metuentis avis sonus. *δυσοίζω* est clamore impleo, ab *οἴ οἴ*, ut *φεύζειν* v. 1229. — *θάμνον* fruticetum, ubi nidus avis. Cf. Soph. El. 55. Phot. *θάμνός, σύνδενδρος τόπος.*

V. 1238. Si me vagientem audis, hoc non ex metu repetas: sed testimonium huius querelae a te postulo, ferendum mihi, ut mortuae, tum quando vindictae tempus aderit. *τόδε* spectat illud *κωκύειν ἐμὴν Ἀγ. τε μοῖραν*, quod extra aedes fecit et nunc intus factura est.

V. 1239. Designatur mors Aegisthi et Clytaemnestrae, quam illaturus est Orestes, id quod sperat chorus v. 1562, fidem habens huic oraculo.

V. 1241. *ἐπιξενοῦμαι ὡς θανουμένη*, testimonium hospitale requiro moritura. *ἐπιξενοῦσθαι, μαρτύρεσθαι, πορεύεσθαι. Αἰσχ. Κρήσσ. Σοφ. Ἀχ. συλλόγῳ.* Hesych. (Aesch. Cress. 109). — *ἀπόξενος* est qui hospitium relinquit (v. 1203), *ἔπιξενος*, qui in hospitium intrat, in hospitio habetur. *ἐπιξενοῦν* habere, *ἐπιξενοῦσθαι* haberi in hospitio. *ἐπιξενοῦσθαι* medii sensu sibi parare hospitium vel rem hospitalem. Hospitis est ferre testimonium ei, quem excepit, quocum vivit, itaque *ἐπιξενοῦσθαι* dici potest de requirendo hospitis testimonio.

V. 1243 — 1251. Ultima vice iam de me praedicam vel lamentabor. Precor a sole in ultima hac luce, ut ultores mei idem solvant invisis occisoribus meis: quum serva facile interemta ero. Vae res humanas! felices umbra potest evertere: si vero infaustae fiunt, spongia uda tactu scriptum exstinguit. Horum me multo magis miseret quam illorum.

V. 1243. *ᾠδήσιν*, carmen de me ipsa et de ultione mihi debita canendum. Duplex est eorum, quae sequuntur, natura, tum imprecationis tum luctuosa: imprecatur mortem adversariis, victoriam facilem vindici. Hoc imprecationis carmen dicit *ᾠδαν*, qua voce omnino non possumus carere. Atqui haec omnia in sua ipsius morte versantur: mortem ulturi sunt illi vindices, itaque de se ipsa threnum canendum habet.

V. 1244. *ἡλίῳ* sqq.] *ἐπεύχεσθαι* duplici sensu cum dativo iungi solet, tum invocandi (ut *τοιαῦτ' ἐπεύχου θεοῖς* Theb. 279.

Cf. Soph. Phil. 1470., Oed. Col. 1024), tum imprecandi (ut v. 459), illud dei, hoc hominis ratione habita. Utrumque hoc loco iunxit poeta: deus, qui invocatur, est sol; homines, quibus imprecatur Cassandra, sunt ultores: utrique dativo casu positi. Id quod imprecatur, additur accusativo positum, verbum *τίνειν*. Ab hoc pendet dativus alter *ἐχθροῖς φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς*. Precibus, quibus solem in ultima luce invoco, imprecor ultoribus meis ut occisoribus invisis meis idem solvant. *ἐπεύχεσθαι* est vox media pariter atque imprecari: imprecari potes bona et mala, Cassandra imprecatur vindicibus facilem victoriam. *τίνειν* quidem dici solet de eo qui poenam solvit (Ch. 313. Eum. 268): at *τίνειν* omnino est debitum reddere, debitum solvere (v. 754), quod quin ad ultorem, qui debitam infligit poenam, transferatur, non est quod impediat.

V. 1245. Solem ultima vice ante mortem appellandam memorat Aiax Sophoclis v. 858.

V. 1247. *δούλης*] genitivus appositus illo *ἐμοῦ* quod latet in *τοῖς ἐμοῖς*. Tota sententia explicatur notio *τίνειν ὁμοῦ*: idem iis reddatur: utinam tam facile, quam me servam occidere possunt, eos etiam interimat ultor.

V. 1250. *βολαῖς*, tactu, eo, quod iniicitur. — *γραφὴ* dictum de memoria calamitatis alienae.

V. 1251. Miserabilior Cassandrae videtur in hominibus cita malorum oblivio, quam bonae fortunae fragilitas. SCHÜTZ. Postquam abiit Cassandra, iterum vacat proscenium et finitus est actus secundus.

V. 1252 — 1264. Felicitate nunquam satiantur homines: ab insignibus aedibus nemo vetans arcet introiturum (— 1256). Huic concesserunt quidem superi destruendam urbem Priami: domumque redit a diis honoratus. Nunc vero si sanguinem a maioribus sparsum luet, suaque morte aliarum caedium poenas solvet, quis est mortalium, qui hac re audita se securo genio natum glorietur? (— 1264). — Totum hoc anapaesticum carmen ita comparatum est, ut proferantur priore systemate (v. 1252 — 1256) sententiae generales per se, quibus tamen omnibus respicitur sors Agamemnonis; posteriore (v. 1257 — 1264) sententiae prodeuntes e consideratione fatorum Agamemnonis, sed ab iis reversurae ad senten-

tiam generalem. Itaque quae in priore obscurius dicta videri possunt, facile intelliguntur comparata cum sequentibus, quae sunt posterioris. Haec ut probem, de cogitationibus singulis systematis prioris paullo fusius disserendum est.

V. 1252 — 1256. Qui in felicitatis fastigio versatur, neque descendere cupit ab hoc fastigio, neque tranquillus in eo sedere: sed simulac nova ei offertur laetitia, fruitur ea more solito: etsi sub hac laetitia lateat periculum: neque est qui moneat homines, ut desinant in fructu talis laetitiae. — Hae sententiae sunt prioris systematis fundamentum, declarata hac ratione. Praemittitur cogitatio de insatiabili felicitatis studio: quam excipit exemplum hoc: eum, qui domum insignem frequentare solet, nemo est qui arceat ab hac. In hoc exemplo inest tum cogitatio frequentatae domus (designata v. 1256: ne amplius eam ingrediaris) tum cogitatio latentis periculi: quia nihil monendum est, ubi non est periculum. Vides iam haec omnia referri posse ad Agamemnonem, qui eas solebat intrare aedes insignes, in quibus, quum nunc etiam eas intret, monitus a nemine, mors eum manet. Imo necessario referenda sunt ad illum, quia solummodo in ratione, qua ille respicitur, causa posita est, cur hoc aedium eligatur exemplum, quod per se est insolitum: neque enim solet mors latere in aedibus splendidis. Sententia per se potest intelligi: non potest ratio, cur ita scripserit poeta, nisi si ad Agamemnonis fata respexeris.

V. 1254. *δακτυλόδεικτος*, qui ita in oculos cadit, ut digito a quovis monstretur, insignis. Ita *χειρόδεικτος* Soph. Oed. Tyr. 501. de re perspicua. Itaque minime opus est, ut de homine cogitetur (sunt enim qui scribant *δακτυλόδεικτον*, virum illustrem), sed de aedibus. Quas ex sententia chori integra scimus felicitate florere, dum probitatem servant (v. 701): scelere commisso perniciei semen in sese excipiunt. Solet vero unusquisque intrare has aedes, neque monetur, quum commissum est scelus, neque amplius tute vivitur in iis.

V. 1257 — 1264. Posterius systema a contemplandis rebus gestis transit ad generalem sententiam. In felicitatis fastigio rediit Agamemno, intravit domum suam, in qua nunc ne in mortem incidet metuendum est. Monent haec de fragilitate omnis gloriae.

Vides in his quoque esse fastigium gloriae, domum illustrem, imminens periculum: clarius omnia hic, quae ibi brevius designata.

V. 1258. Urbs Priami opulentissima et potentissima: itaque qui de ea vindictam sumsit, summo dignus honore et felix praedicandus: id quod dictum est v. 487 — 491.

V. 1259. *θεοτίμητος*. Cf. Theb. 775: ubi etiam honor a diis concessus vertit in perniciem.

V. 1260. *προτέρων αἷμα* et *ἄλλων θανάτων* omnia spectant scelus Atrei.

V. 1263. *ἀσινής*, qui tutum servat, ut *Ζεὺς ἀσινὴς σωτήρ* Theb. 826. Quod enim numen tuiturum est res humanas, eius voluntas eoque ipsum numen laeditur laesis illis.

V. 1264. *δαίμων*, genius Hesiodeus (Opp. 121) ex eorum genere, qui singuli singulis hominibus prospiciunt. Cf. v. 1576. Ch. 513. Theb. 705. Neque diversi ab his sunt ii, qui generis curam habent; transit enim talis genius a patre ad filium.

V. 1265 — 1293. Incipit posterior huius episodii pars. In qua primum exhibetur caedes regis et chorus deliberans.

V. 1265 — 1269. „Eheu, caesus sum letali ictu intus.“ — Tace: quisnam clamat de ictu letali? — „Eheu, altero caesus denuo!“ — Perfectum opus videtur e lamentatione regis. Atqui communicemus tuta consilia. — Exhibetur caedes regis eius voce bis ex aedibus audita: inter quas exclamationes intercedit interrogatio chori perterriti et dubitantis, quid faciendum sit, intelligentis, factum esse id, quod praedixerat vates. Quae chori cogitationes, ut solet, a coryphaeo proferuntur, compositae tetrametris trochaicis, aptis moto animo, aptis pariter ad distinguendas eas tum a clamoribus regis, tum ab iis, quae sequuntur, choreutarum singulorum sententiis. Hae enim revera sunt sententiae, quarum numerus est duodecim, prolatae trimetris binis. Mirum est, quod fuerunt qui exclamationes illas tetrametris prolatas, et forma et sensu et dictione maximopere diversas ab illis sententiis, quae inde a v. 1270. feruntur, habuerint etiam pro sententiis, ut quindecim extorquerent choreutas, quanquam ultimo demum earum versu (1269) ad proferendas sententias reliquos exhortatur cory-

phaeus. Mihi quidem hic ipse ultimam videtur dixisse sententiam v. 1292.

V. 1267. *δευτέραν, πληγήν* (e v. 1265). Duplicem ictum accepisse, duplicem clamorem edidisse regem, antequam mortuus concideret, postea narrat Clytaemnestra v. 1306.

V. 1268. *εἰργάσθαι* passive dictum. Cf. ad v. 329.

V. 1269. *κοινωσώμεθ' ἄν*; vestigium usus Homerici, cuius ratio posita est in liberiore particulae *ἄν* tractatione.

V. 1270 — 1293. I. Convocemus huc cives. — II. Irruamus potius stricto gladio. — III. Consentio, agamus aliquid sine mora. — IV. Patet hoc: parant tyrannidem. — V. Cunctamur enim: illi agunt. — VI. Equidem omne probabo, modo agatur. — VII. Assentior, quum verbis mortuum revocare nequeam. — VIII. An subiecturi sumus nosmet aedium polluloribus? — IX. Hoc non ferendum: mortem malo quam tyrannidem. — X. Num e lamentationum signo occisum praesagiemus regem? — XI. Egemus certa rei cognitione, quae nondum adest. — XII. Assentior cognoscendum esse, quomodo se habeat rex. — Vides choreutas iam ut senatores ferre sententiam, eosdem, qui soli tuiti erant urbem absente rege cum exercitu totiusque populi vice functi. Duo sunt, quae proponuntur, tum a primo, convocandos esse cives, tum a secundo et tertio, vi intrandam esse domum. Primo assentiuntur quartus et quintus metuentes de republica, secundo sextus et septimus regi opitulaturi; primo denuo octavus et nonus nihil magis aversantes, quam tyrannidem; secundo denique decimus et undecimus, quia certa nondum exstent facinoris indicia, horumque sententiam probat duodecimus coryphaeus, ut iam in eo sint, ut introeant cum subito aperiantur fores et egrediatur regina. Vides insigni arte designatum, ut in rebus vel atrocissimis ad vindictam sumendam non perveniat turba concitata, si abest auctor instigans.

V. 1270. *γνώμην*, sententiam senatoris, ut *γνῶμα* v. 1274, *βουλή* v. 1280, *ψηφίζομαι* v. 1275. Vox *γνώμην* intelligitur ad *ταύτην* v. 1292.

V. 1271. Ad aedes huc convocando imperare civibus auxilium. — *κηρύσσειν τινί*, iubere aliquem praeconio, Theb. 1043. — *βοή*, auxilium, ut Suppl. 730. Hom. Od. XXII, 132.:

ὦ φίλοι, οὐκ ἂν δή τις ἀν' ὁρσοθύρην ἀναβαίη καὶ εἴποι λαοῖσι, βοὴ δ' ὤκιστα γένοιτο; In hac cogitatione posita videtur origo significationis auxilii, quod accurrit turba populi, clamore et tumultu auxilium allatura in re subita. Tumultum clamore iunctum designat haec vox etiam Suppl. 682: βοάν τ' ἔνδημον ἐξοπλίζων.

V. 1272. ἐμπίπτειν, invadere, aggredi aliquem, irruere in aliquid, in aedes. Cf. v. 316. Eodem sensu ἐμπιτνεῖν v. 1096, 1370.

V. 1273. ἐλέγχειν, certo explorare, clare cognoscere. — ξὺν νεορρῷ. ξίφει, recens districto gladio. Gladiis districtis sane opus erat intrantibus aedes, ut cognoscerent vim regi illatam: eos enim, qui sine armis irruissent, senes potissimum, facile eiecisset regina, neque id sine vulnere. Praeterea nesciebant, an ministros armatos intus haberet illa. Gladii, quos gerit chorus, memorantur etiam v. 1567. De Clytaemnestrae telo neque ξίφος dixisset poeta, quia scire omnino non poterat chorus, cuiusmodi telo usa esset, neque apta esset ambigua particula σύν.

V. 1275. τι δρᾶν. Si intrabant aedes, vi utebantur et revera agebant aliquid, quum dicendi potius partibus fungendum erat, si populum convocabant. — ἀκμὴ idem quod καιρός. BL. Cf. Pers. 407.: κοὐκ ἔτ' ἦν μέλλειν ἀκμή.

V. 1276. πάρεστι, licet, v. 343. Apparet hoc, clare patet hoc. Quod ad ea quae sequuntur referendum. Si ad ea quae praecedunt, εἶναι ἀκμὴν τὸ μὴ μέλλειν, quod placuit nonnullis, addendum erat τοῦτο vel tale quid. — φροιμιάζεσθαι, ea agere quae fastigium rei antecedunt. Cf. Eum. 20. De φροίμιον dixi ad v. 31. Quartus senator periculum instantis tyrannidis exhibet, id quod eum sententiae primi assentiri ostendit. Etenim ut caveatur de tyrannide, quam celerrime convocandus erat populus, neque firmi quidquam erat in senatoribus, etsi aedes intrarent, praesidii.

V. 1277. τυραννίδος· Regia dignitas est ea, penes quam est summum in omnibus rebus arbitrium (Suppl. 370 — 375): quae legibus civitatis constituta est et congruit cum voluntate universa senatus et populi, in rebus singulis audiens eorum consilia, sed ipsa decernens, quid sit agendum. Leges illae positae sunt in iure hereditario, quo transit imperium a patre ad filium, repeti-

tum a divino generis auctore. Quas qui aspernatur, iisque senatuque populoque, quorum voluntas ab iis legibus pendet, invitis imperium sibi vindicat, est tyrannus. Apparet cogitare iam chorum de Aegistho, inter quem et reginam consuetudinis aliquid intercedere iam antea suspicatus erat: itaque explicatur numerus pluralis. Tyrannidem revera occupat Aegisthus (v. 1555), idque ope satellitum (v. 1566), quibus firmari solebat tyrannis in urbibus Graecis. Signa, e quibus hoc consilium cognoscit chorus, eadem sunt, quae antea suspicionem moverant de consuetudine Aegisthi et Clytaemnestrae, quorum iam recordatur.

V. 1278. Improbat quintus senator, quod dissidio orto retardatur consultum. Consentire vero eum cum primo et quarto ostendit interpositum *γάρ*, quod causam periculi a quarto exhibiti repetit e cunctatione. — *μελλοῦς κλέος*, cunctationis laudem, quae in committendo scelere revera locum habet.

V. 1279. *πέδον*, ut *λὰξ πέδον πατούμενον* Ch. 643. BL. — *καθεύδειν χερὶ* dictum ut *βραδύνεσθαι χεῖρα* Theb. 623. Cf. ib. 554: *χειρὶ δ' ὁρᾷ τὸ δράσιμον*.

V. 1280 sq. Nescio, quamnam sententiam meam dicam: eius, qui agit, est etiam in censendo. Gravitatem utriusque rei propositae agnoscens adhortatur sextus senator, ut quam celerrime perficiatur alterutra, probaturum se esse promittens, quidquid agatur, modo agatur aliquid. — *τυχὼν λέγω*] participium pro infinitivo. Cf. Rost. Gr. §. 129. not. 5. p. 663. — Ad *ἐστὶ* subintelligendum *βουλή*. — *τὸ βουλεῦσαι πέρι*, quod ad censendum, ad suadendum attinet. *πέρι* accusativo suo postpositum etiam Pers. 61. Conatus iungendi *πέρι* cum *τοῦ δρῶντος* quivis contortam et ambiguam reddit sententiam.

V. 1282. Quae significavit sextus, agendum esse sine mora, clarius profitetur septimus senator, diserte se idem, quod ille censere dicens. Ante omnia enim periculum faciendum est, an servari possit rex: quod si contingat, actione erit servatus, quum orationes omnino nihil expediant.

V. 1283. *λόγοισι*, iis orationibus, quae nunc in senatus et in populi consilio habentur.

V. 1284. Monet octavus senator esse periculum tyrannidis, quae miseram redditura sit omnem vitam, nisi nunc prohibeatur.

Itaque hic, ut primus et quartus, ad populum relegat. — *βίον τελοντες*, per totam vitam.

V. 1285. *δόμων*, domus regiae. — *ἡγουμένοις*, quum imperium sibi vindicant.

V. 1287. *πεπαιτέρα, ὡριμωτέρα, γλυκυτέρα· ἡδύτερος, φησίν, ὁ θανατὸς ὁ ὑπὲρ τῶν δεσποτῶν τῆς τυραννίδος.* Schol.

V. 1289. Num vaticinabimur ex lamentationibus, i. e. num tantum tribuemus coniecturae? — Monet decimus nondum certo se scire, quid actum sit, itaque suadet, ut domum intrent.

V. 1290. Certa demum cognitione parta de his dicendum est. Dicendum erat in concione populi monetque undecimus huic non coniecturas sed rem certam proferendam esse. Confert Blomf. Soph. Trach. 425: *ταὐτὸ δ' οὐχὶ γίγνεται, δόκημαιν εἰπεῖν κἀξακριβῶσαι λόγον.*

V. 1292. *ταύτην*, sc. *γνώμην*. — *παντόθεν*, omnium ratione habita. — *πληθύνομαι*, multitudinis auctoritate inclinor. Cf. v. 801. Vides hunc extremum respicere id, in quo plerique consenserunt senatores eique assentiri. Est in hac sententia ultima aliquid auctoritatis; stat enim pro decreto senatus. Itaque hos versus coryphaeo tribuo, qui evocaverat ad ferendas sententias iisque auditis ei se adiungit, quae plerisque placet, eamque decretam pronuntiat. Eadem ratione in Eumenidibus Minerva, quae iudices ad sententias ferendas evocat, ipsa ultimam fert, eamque gravissimam. Eum. 709 sqq. 734 sq.

V. 1293. *ἐπαινοῦμεν διαφόρως ταύτην γνώμην, τὸ μαθεῖν, ἐν οἷς ἐστὶ καταστάσει ὁ βασιλεύς.* Schol.

V. 1294 — 1369. Deinde in altera posterioris partis huius episodii parte exhibetur Clytaemnestra glorians de caede coniugis diu parata nunc perpetrata, de ultione filiae, de amicitia Aegisthi, de morte Cassandrae. Quas iactationes ter interpellat chorus miratione et minis prolatis. — Aperiuntur portae, patent aedes, conspicitur corpus Agamemnonis (v. 1326) et Cassandrae (1362), quibus adstans (1301, 1393) Clytaemnestra loquitur ea quae sequuntur. Adest praeterea tunica, qua regem implicuit (1304), adest bipennis, quam, ut videtur, manu tenet (1415).

V. 1294 — 1320. Antea dissimulavi, ut inimicum perderem: nunc consilium diu paratum effeci (— 1301). Idque hac arte.

Infinita tunica implicitum ferio: ita occisus sanguine me adspergit (— 1314). Ita debita mortuo et iusta sunt soluta (— 1320).

V. 1294 — 1298. Multorum antea tempestive dictorum contraria proferre me non pudebit. Quomodo enim ostensa inimicitia inimicis, qui videntur amici, infortunium circumsepiat aliquis instar cassis, e quo nequeat effugi?

V. 1296. *προσύνων*, praebens, aperte parans, ostendens. Qui confitetur inimicitiam, non poterit parare artificium, quo alterum decepturus est.

V. 1297. *πημονή*, ut *ἄχος* v. 1172., calamitas. — *ἀρκύστατον* appositum *πημονῇ*, quae paratur instar cassis, quae cassis instar inferenda est alteri.

V. 1298. *κρεῖσσον* pertinet ad *ἀρκύστατον*, maius altitudine, quam ut supra eius fines transsilire posset aliquis. Cf. Pers. 95, 99. Ag. 334. Similitudo sumta a feris cassibus captis, e quibus transsiliendo effugere conantur.

V. 1299 — 1301. Mihi hoc veteris discordiae certamen diu cogitatione perpensum evenit, et suo quidem tempore: vides me nunc in re effecta stare ubi ictum feci.

V. 1299. Construe *ἐμοὶ δ' ἀγὼν ὅδε νείκης παλαίας ἦλθε οὐκ ἀφρόντιστος πάλαι*, evenit mihi ita, ut diu de eo cogitaverim.

V. 1301. *ἐπ' ἐξειργασμένοις* Pers. 525, ubi paullo alia est dictionis ratio.

V. 1302 — 1309. Quae sic effeci — neque enim hoc negabo —, ut neque effugeret neque propulsaret mortem. Infinitum indusium, ut piscium, circumplico, malam vestimenti opulentiam. Bis eum ferio, duabus lamentationibus membra ibi remisit, collapso tertium indo, in Orci inferi mortuorum servatoris votivam gratiam.

V. 1303. *ἀμύνασθαι*. Aptissima est haec codicum lectio, quia propulsatio erat simplex actio, ereptio securis et ictus Clytaemnestrae inflictus. *φεύγειν* vero bene tempore praesenti positum, quia longius patet haec notio.

V. 1304. Rete dicitur vestis Agamemnoni iniecta, quia pariter ac rete clausa est ab altera parte, *πλοῦτος εἵματος* ob longitudinem, qua implicatur ille. Cf. Schol. Eur. Hec. 1277: *ἱμάτιον παρεσκεύασε μὴ ἔχον διεξόδους μήτε κεφαλῆς μήτε χειρῶν· ἐν ᾧ περιβαλοῦσα αὐτὸν λελουμένον ἀπέκτεινε*. Cf. Schol. ad Il. I, 7. Ly-

cophr. Cass. 1099: ὁ μὲν γὰρ ἀμφὶ χύτλα τὰς δυσεξόδους ζητῶν κελεύθους αὐχενιστῆρος βρόχου, ἐν ἀμφιβλήστρῳ συντεταργανώμενος τυφλαῖς ματεύσει χερσὶ κροσσωτοὺς ῥαφάς. Putandum est ad lavantem accessisse Clytaemnestram, ferentem hoc indusium, quasi eius iussum exspectaturam, et ingressa Cassandra, simulac primam nacta sit occasionem, capiti hoc iniecisse ictumque fecisse. — ἄπειρον, ut Eur. Or. 25. ἢ πόσιν ἀπείρῳ περιβαλοῦσ' ὑφάσματι ἔκτεινεν. Sic ἀτέρμων Eum. 634. ἀμφίβληστρον eodem sensu Ch. 492; de vinculis Prom. 81.

V. 1305. περιστιχίζω. Harpocr. περιστοιχίζεται — — — ἐκ μεταφορᾶς τῶν κυνηγετῶν. κατὰ γὰρ τὰς ἐκδρομὰς τῶν θηρίων ὀρθὰ ξύλα ἱστᾶσιν, ἃ καλοῦσι στίχους, ἤγουν στοίχους, καταπετάσματα ἀὐτῶν δίκτυα. — πλοῦτος εἵματος, ut πλοῦτος γᾶς Theb. 950.

V. 1306. δυοῖν, v. 1265 et 1267.

V. 1309. Acerba ironia quum Orcum dicat mortuorum servatorem ut Iovem inferum, quia vivorum servator est Iupiter superus (v. 222), tertium ictum huic servatori devovet, sicut tertia libatio Iovi servatori sacra habetur. Cf. l. c. et Epig. fr. 49: τρίτον Διὸς σωτῆρος εἰκταίαν λίβα. — δημόθροος, vide ad v. 419.

V. 1310 — 1314. Ita iram corruens emittit: et sanguinis adspergit me nigro rore cruento, laetantem ut Iovis imbre laetatur seges in parturitione calicis.

V. 1311. Exhalans acutam sanguinis caedem: sanguine exhalato designans, ubi caedes acuta sibi inflicta sit.

V. 1312. ψαμὰς δρόσου ut δρόσοι κατεψέκαζον, v. 520, ubi cf. Not. crit.

V. 1313. De Iove ὄμβρῳ cf. not. Stanl. Arist. Nub. 373. Qui fertilitati prospiciebat. Suppl. 689. — νότος ventus pluvius: ita νοτίοις ἔτευξε παγαῖς Prom. 401, νοτίζων γάμος, madefacientes coeli et telluris nuptiae, Danaid. fr. 36, qui locus nostro simillimus. Cf. Soph. Phil. 1457: ἐτέχθη πληγῇσι νότου, Ovid. Met. I, 264. madidis Notus evolat alis.

V. 1314. γάνει, voluptate, interpretamentum νότῳ appositum, ut ἀρκύστατον voci πημονὴν v. 1297. γάνος vide v. 537. — Intelligendum est: ἢ Διὸς νότῳ γάνει χαίρει ἀπορητός. — Seges

quasi partu editur a calice. Ita λόχευμα Φυλέως, filius Phylei, Eur. Iph. Aul. 285.

V. 1315 — 1320. Quae quum ita sint, vos, quos reverentur Argivi, laetemini, si placet, equidem glorior. Ab iis, qui mortuo libationes laturi erant, iuste hoc fit, et ad tuendam iustitiam. Tot malis exsecrabilibus quum ille in aedibus poculum impleverit, ipse hoc decedens ebibit.

V. 1315. πρέσβος, honorifica chori senatus appellatio, v. 787.

V. 1316. χαίροιτ' cett. vide ad v. 973.

V. 1317 sq. πρέπειν ὥστε ἐπισπένδειν nihil esse potest, nisi apparere talem, qui libationes laturus sit. Ita πρέπων φωνεῖν apparens ut qui locuturus sit Soph. Oed. Tyr. 9. πρέποντες ὥστε ἐπισπένδειν eo, quod pluralis adhibetur numerus et masculinum genus, generalem morem designat. Iam notum est libationes fundi mortuo a suis, velut Patroclo ab Achille (Il. XXIII, 22), Agamemnoni ab Electra. A suis igitur mortuo eae sunt exspectandae, sui apparent ut ii, qui eas allaturi sunt. Neminem hoc magis deceret, quam Clytaemnestram. Ab iis, a quibus libatio exspectatur, sane non caedes exspectanda est. Hoc vero est, quod contendit Clytaemnestra: si haec (caedes ictu triplici libationis instar perpetrata) fiebant ab iis, a quibus libatio potius mortuo fundenda est, iustus erat hic agendi mos, imo iustitiae defensio: si ea ratione egit vir quispiam, qua Agamemno mala domui intulit exsecrabilia. In extrema huius sententiae parte mutavit poeta structuram et dictionem. Praemittit Clytaemnestra generalem sententiam: si a suis caeditur aliquis, iustum hoc est, imo iustitiae defensio. Cui generali sententiae subest in eius mente conditio: si ita egit, ut Agamemno. Conditionem vero hanc non talem, sed directa dictione profert; nam talis ille erat. Vides generalem sententiam, quae generalibus exemplis vel ex rei ipsius ratione probanda erat, probari uno Agamemnonis exemplo, cui soli apta est. Id quod optime instituit poeta. Apparet enim, statim ubi generalem sententiam prolatura est de solo Agamemnone cogitare Clytaemnestram: generalem vero profert, ut lege quadam se excuset, quam quidem ipsa fert eamque e solo hoc facinore repetitam. Quod aliam viam ineuntes ἦν πρεπόντων pro

ἦν πρέπον dictum putaverunt interpretes: et dubia est dictio haec neque intelligi potest, quid sibi velit illud ὥστε, neque, quid tota sententia: si libatio deceret, hoc iustum esset. Quid est hoc? Nonne decet revera libatio? Nonne iustam revera caedem putat regina? Nonnisi de re revera facta totus locus potest intelligi, et propterea necesse est, ut sit cogitatio facti repetiti, ut est in sententia generali, in qua locum habet imperfectum adiuncto ἄν. Locos vide apud Herm. de Partic. ἄν I, 7. p. 20. Nihil vero est hoc: si decet libatio, iustum hoc fieri solet.

V. 1318. ὑπέρδικον, quod ad defendendam iustitiam profertur, ut Soph. Ai. 1119. Ita ὑπερδικεῖν ius alicuius defendere. Ineptum est, quod de eo, quod supra modum iuste agatur, vocem intellexerunt. Id nihil est, nisi iniustum.

V. 1319. κρατὴρ repetitum e cogitatione de iure libationis. Iuste agit, qui has Agamemnoni libationes fundit (ictu scilicet inflicto tertio servatori sacro pariter ac tertia libatio); ipse enim in domo poculum pernicie implevit, ipsum perniciem ebibere iussit.

V. 1321 sq. Miramur insolentem linguam tuam, quae talia de viro iactas.

V. 1321. ὡς θρασύστομος. ut ὡς μάχην ἔδρις v. 409.

V. 1323 — 1328. Tentas me ut mulierem imprudentem: equidem sine ullo timore gnaris dico: tu utrum me laudes an vituperes, perinde: hic est Agamemno, meus maritus, hac manu caesus: opus iustae perfectricis. Haec ita se habent. — Nescivit regina, quanam mente facinus auditurus esset populus: nunc, quum improbantem videat senatum, superba iactatione confirmat nihil se poenitere facinoris, quod iustum sit censendum.

V. 1323. Loqueris, quasi ipsa nesciam, quid fecerim, et nonnisi concitato et iactabundo animo indulgeam in iis quae dico. At non sum tam imprudens: e firmo omnia orta sunt consilio: ideoque diserte omnia repeto, neque tuum curo iudicium.

V. 1325. λέγω. Id, quod dictura est, non statim sequitur, sed versu sequenti οὗτος cett. Interposita est sententia, qua chorum a iudicio ferendo absterret.

V. 1326. ὅμοιον v. 1160.

V. 1327. δεξιᾶς χερός. genitivus designans rem, unde origo alienae conditionis proficiscitur. νεκροὶ ἀρνείου φόνου Soph. Ai. 309.

V. 1328. *δικαίας*· duplex est id, quod inculcat regina: neque celare se facinus, neque iniustum censere. Illud tam insolens, hoc tam perversum iudicat chorus, ut eam insanire suspicetur, idque veneno quopiam corruptam.

V. 1329 — 1333. Quidnam mali cibi terra nutriti vel potus e mari repetiti sumsisti, quod tantam rabiem tantasque exsecrationes suscepisti? Deiecisti, occidisti, exsul eris, odium civibus.

V. 1329. Cibus quivis e terra, potus omnis e mari repetitur, mari dicto pro aqua omni. Omnis enim aquae rex est Neptunus, cuius nomen *Ποσειδῶν* nemo a potu divellet.

V. 1330. *πάσασθαι*, vesci, primam corripit, *πάσασθαι*, possidere, (v. 767) producit. BL.

V. 1331. *ἐπέθου*, imposuisti tibi. *θύος* de statu animi Clytaemnestrae, *ἀρᾶς* de exsecrationibus populi.

Z. 1332. *ἀποδιωκεῖν*, abiicere, Eur. Herc. f. 1204.— Prostravisti, iugulasti; ut postea *κάπτεσε*, *κάτθανε* v. 1469. SCHÜTZ.

V. 1334 — 1347. Nunc exsilium, odium, exsecrationes mihi decernis: nihil tale huic viro adversatus, qui sine aestimatione, pariter ac bestiae morte, quum multae sibi essent oves, filiam suam mactavit, dulcissimum mihi partum, qua Thracios ventos incantaret. Nonne hunc eiicere decebat in piaculi poenam? Meorum vero facinorum asper es iudex. Minor vero tibi ita, quasi eadem a te victore exspectem, quae tibi victrix infligam.

V. 1337. *ὡςπερεὶ* v. 1140. — *οὐ προτιμᾷ, οὐκ ἔχει λόγον.* Hesych.

V. 1338. *φλεόντων, πληθυνόντων.* Schol. quum abundarent oves in gregibus bono vellere praeditis.

V. 1340. *ἐπῳδός*, qui incantando mulcet, lenit, vincit. Cf. v. 946. — *Θρηκίων* cf. v. 173.

V. 1344 sqq. *τοιαῦτ' ἀπειλεῖν*] Aio vero, me tibi talia minitari, qualia sunt eius quae parata est, aequabili ratione eum, qui vicerit, [mihi imperare: si vero contrarium eventum deus adducat, tu sero doctus prudentiam disces. *τοιαῦτα, ὡς*] Exspectari potest acerbum victorem fore eum, qui exspectat victorem sibi victo non esse parsurum. — *ὡς παρεσκευασμένης*, sc. *ἐστί*, ut decent para-

tam, ut sunt paratae. — Quum dictum sit quae parata est, exspectamus id, quod actura est. Sed aut actura aut passura est. Id quod patiendum est praemittitur: itaque παρασκευασμένης hunc fere sensum habeat: cuius animus ad eam exspectationem est compositus. In sequentibus dicitur id, quod actura est, et si iuste procederet oratio, dicendum erat (παρεσκευασμένης) διδάξειν σὲ cett. Concitatus vero animus turbata hac structura directo chorum alloquitur. — ἐκ τῶν ὁμοίων, aequabili ratione, ὁμοίως, pari conditione. Victoria rem decernet, tum aeque misera erit alterius conditio altero victore atque alterius status altero. νικήσαντα, subaudi σέ. Patet hoc e totius orationis connexu, itaque non necessario addendum erat.

V. 1347. Hoc διδάσκεσθαι vide etiam in oratione Aegisthi v. 1535.

V. 1348 — 1352. Superbe iactationes fundis: insanit tibi animus ut in caede. Macula indecora sanguinis satis apparet oculis. Solvendus manet tibi amicis privatae ictus ictui. — Insaniae crimen a choro obiurgatum removerat regina eo, quod Iphigeniae necem ut iustam caedis regiae causam attulit: minas minis retribuerat. Iphigeniae mentioni non habet chorus, quod obiiciat: tacet igitur de his, sed urget superbiam et improbum quem professa sit animum: inde vindictam ei paratum iri praesagit. Quibus auditis in iis quae sequuntur Aegisthi auxilio gloriatur Clytaemnestra.

V. 1352. περίφρων Suppl. 757.

V. 1359. ὥσπερ cett. ut decet in cruento statu Cf. ad v. 1140. Is qui cognatum occidit (haec enim est caedes eo nomine digna, alterius ratio vix habetur, nisi civilis, idque quia quasi cognati sunt omnes cives) facinoris memoria vexatur usque ad insaniam. Id quod accidit Oresti in Choephoris v. 1022 sqq. — φονολιβής Eum. 164.

V. 1350. λίπος αἵματος, sanguis, quo ab Agamemnone adspersa est: v. 1310. — εὖ πρέπει, clare apparet, ut εὔπρεπτος, clare conspicuus, Suppl. 722.

V. 1351. ἄτιτον, non honore, sed ignominia dignum: quamvis tu de eo gloriata sis. — στερομέναν φίλων, propter piaculum.

V. 1353 — 1369. Hoc tibi affirmo: nae ratum filiae meae ius, cui hunc mactavi: nihil timebo, dum Aegisthus mecum manet, amicitiam servans: cui confido maxime (— 1359). Iacet is qui me violavit, Chryseidum ad Troiam deliciae: iacet etiam captiva vates, lecti socia, oraculorum cantrix, fida pellex, socia in navi. Digna sunt perpessi. Sic enim ille: haec autem oloris instar quum ultimum carmen cecinerit, iacet huius amans, hoc concubitu augens meas delicias (— 1369).

V. 1353. *ὅρκιον*, iusiurandum, *ὅρκος*, id quod iurisiurandi auctoritatem conservat. — *θέμις*, quidquid divina auctoritate constitutum est. Iusiurandum constituit humana voluntas, confirmat divina auctoritas. Ceterum haec *ὅρκ. θέμις* nihil est, nisi sollemnis affirmatio.

V. 1354. *τέλειον δίκην*, ius quod ratum est factum, ultione sumta de Agamemnone.

V. 1355. *ἄτην Ἐρινύν, θ'* certius definiunt rationem iuris modo commemorati. Quum enim in perniciem intrusa sit Iphigenia, decet eam Furiam, quae ex hac pernicie oritur, adipisci potentiam ultricem. Quo facto expletum est ius, *τέλειος δίκη*.

V. 1356. Nove domum metus intrare dixit pro metuendo. Longe lenius Eur. Heracl. 996: *ὅπως τὸ λοιπὸν μὴ ξυνοικοίην φόβῳ*. BOTH.

V. 1357. *αἴθῃ*] Sacra in aedibus fiunt a domino: itaque his verbis futurum dominum aedium Aegisthum designat regina.

V. 1358. *Αἴγισθος* nunc primum diserte memoratus: designatus antea v. 142, 1145, 1180.

V. 1359. *ἀσπὶς* sensu translato, ut *σάκος* Suppl. 190.

V. 1360. *λυμαντήριος*, qui ignominia afficit, *οἴκων* Ch. 764. Cf. Prom. 991. Hanc ignominiam in amore pellicum invenit Clytaemnestra. Siquidem ipse apud Homerum dicit Agamemno praeferre se Chryseidem Clytaemnestrae. Hom. Il. I, 113. Et omni pellicum consuetudine vir *ἀτιμάζειν* dicitur uxorem: Hom. Il. IX, 450. Cf. Od. I, 433.

V. 1361. *μείλιγμα*, deliciae. Ch. 278. Plerumque id quo aliis blandimur, alios placamus, ut libationes, quibus placantur mortui Ch. 15. Eum. 107. ib. 886.

V. 1362 sqq. Irata Clytaemnestra honorificas et ignominiosas Cassandrae appellationes spreto ordine cumulat.

V. 1365. ἄτιμον, id quod debitum honorem derogat, immeritum. πόνοις ἀτίμοις Suppl. 562. Cf. Prom. 195.

V. 1366. Ille debitum nactus est hac caede: neque caret Cassandra eo, quod iustum est: iacet enim prope illum. — κύκνου δίκην. De olore cf. Hymn. Apoll. XXI, 1. Φοῖβε, σὲ μὲν καὶ κύκνος ὑπὸ πτερύγων λίγ' ἀείδει in collibus ad Peneum. Aristot. Hist. Anim. IX, 13. in litore Libyae. Cic. Tusc. I, 30. Ovid. Her. VII, 1.

V. 1369. εὐνή, cubitus, dictum de iacente Cassandra, quae quasi concubat cum Agamemnone mortua pariter ac viva: κεῖται φιλήτωρ τοῦδε. Ita cubitus mortui Agamemnonis dicitur χαμεύνα v. 1457, κοίτα v. 1413. De sepulcro cogitari nequit, quia nondum sepulta est Cassandra. — Optime haec sententia concinit cum moribus Clytaemnestrae. Ut vivorum concubitu offendebatur, ita mortuis concubantibus laetatur et gloriatur. εὐνῆς genitivus rei, unde altera proficiscitur (v. 980): ex hoc cubitu auctas mihi attulit delicias laetitiae meae.

Sequitur stasimum quartum (v. 1370 — 1492.) compositum e strophis et systematis anapaesticis, quorum sunt quae a Clytaemnestra chorum interpellante proferantur. Triplex est harum stropharum et systematum ordo, primus I, II, III; 1, I, 1; secundus IV, V, VI, 2; IV, V, VI, 2; tertius VII, II, III; 3, VII, 3. In omnibus eadem exhibetur sententia principalis, facinore Clytaemnestrae ad fastigium perductam esse discordiam domo immanentem. Et primo quidem ita haec explicantur v. 1370 — 1400: Mulier occidit regem, qui multa perpessus est pro muliere, eius sorore. Omnium, quarum causa est Helena calamitatum haec est acerbissima (— 1382). Quibus quum adversetur Clytaemnestra originem nefariorum, qui harum mulierum sunt, morum a genio generis Tantalidarum repetit: cui assentitur illa (— 1400). Secundo ita v. 1401 — 1446: Genio illi potestas tributa est a Iove, qui omnia gubernat. Heu regem impio artificio occisum! Cui sententiae chori respondet regina: id quod feci non ego feci, sed genius mea specie apparens. (— 1422). Ch. Sane te minime innocentem adiuvit genius domesticis caedibus genus perditurus.

Heu regem impio artificio occisum! Cl. At iustam obiit mortem, quod Iphigeniam mactavit (— 1446). Tertio denique ita v. 1447 — 1492: Ch. Corruet domus novis cladibus: utinam ipse vitam finivissem! Quis est, qui regem decore sepeliat? Cl. Hoc non tibi curandum, sed nobis, nos verum rem permittimus Iphigeniae (— 1474). Ch. Difficile est in his aliquid decernere. Manente vero Iovis auctoritate manet ultio: caedium stirps aedibus inhaeret. Cl. Sane hoc verum, neque opto quidquam nisi ut finem domesticarum caedium denique faciat genius (— 1492). — Quum in his omnibus eadem sit principalis sententia, differt tamen id, quod iis exhibitis efficitur. Primo ordine superbit regina, iactans furorem sibi a genio concitatum, secundo monita de Iove, a quo pendet etiam ille genius, culpam a se avertere studet, primo in genium, quod quum reiiciat chorus, deinde facinoris iustitiam exhibere conatur. Tertio denique, invidia quidem in Agamemnonem minime mollita, timore tamen novarum caedium corripitur ideoque ipsa violentiam paullo remittit ea mente, quam postea etiam Aegistho ostendit (v. 1570 sqq.)

V. 1370 — 1382. Utinam citam nec nimios dolores afferentem mortem obeam, occiso custode benevolentissimo, qui multa de muliere perpessus a muliere interemtus est. Heu Helenam insanam, quae tot vitas perdidit ad Troiam. Nunc ratam multo memoratam florere iussisti [calamitatem aedium ad fastigium improbitatis perductam ab illa muliere polluta] per sanguinem implacabilem, quae tunc in aedibus erat immanens radix rixae, viri calamitas.

V. 1370. *δεμνιοτήρης μοῖρα*, ut *δεμν. πόνος* v. 53.

V. 1371. *ἐν ἡμῖν*, non a *φέρουσ'* pendens, sed pertinens ad *τὸν αἰεὶ ἀτέλευτον*, sors afferens somnum eum, qui nobis semper sit infinitus.

V. 1373. *εὐμενής* cf. v. 474.

V. 1374. *γυναικὸς δικαί.* cf. v. 411.

V. 1379. *τελείαν* respicit *τέλειον δίκην* in oratione Clytaemnestrae v. 1354. Ipsum Iphigeniae sacrificium non amplius exhibuisse chorus videtur in iis, quae exciderunt, sed nonnisi repetivisse ex illo reginae dicto cogitationem ratae et perfectae aedium calamitatis, quam unusquisque generis Pelopidarum scelere quo-

piam commisso quasi nutriverat, et ipse etiam Agamemno. Ansam vero, ut nunc haec omnia fastigium adipiscerentur, quin etiam ansam ad ipsum facinus Agamemnonis dedit Helena. Ab eius facinore pendet facinus regis, pendet id quod ex eo perficiendum sibi sumsit facinus reginae. Itaque Helena dicitur adduxisse perniciei saepissime memoratae florem. Id quod egit per manus Clytaemnestrae: Clytaemnestra sese polluit sanguine implacabili; Clytaemnestra ipsa dicitur discordia aedibus inhaerens, quia in ea summum haec vetus discordia nanciscitur fastigium; dicitur calamitas viri, quia calamitatem extremam ei intulit. Tamen non hanc allocutum esse chorum in iis quae absorpsit lacuna, sed omnia protulisse quasi pendentia ab infausta auctoritate facinoris Helenae, pendentem ab hac etiam eam quae haud dubie facta est Clytaemnestrae facinoris designationem, pendentem etiam ipsam quae revera est v. 1382 sq. Clytaemnestrae mentionem, apparet e sequenti reginae oratione, ubi nihil nisi quae Helenae obiurgaverit chorus commemorat neque tamen profecto omisisset quae sibi directo dixisset. Sed potest in ea re invenire aliquid excusationis, quod ab Helena suum ipsius facinus pendere dicit chorus: quam quidem excusationem superba mente reiicit, vetans convicia in Helenam proferri. Ceterum probatur his vocem *ἐπηνθίσω* pertinere ad ea, quae mentionem Clytaemnestrae antecedunt. Nec sane eodem fere temporis momento eandem mulierem nunc secunda nunc tertia persona iunctis pronomine relativo dicere potest chorus.

V. 1380. *ἐπανθίζεσθαι* perficere ut floreat aliquid. *ἐπανθίζειν* efflorescere. Ch. 150. Medii significatio est eadem quae vocis *ἐπανθεῖν* Theb. 951. — *πολύμνηστος* v. 753. *πολυμνήστωρ* Suppl. 535.

V. 1381. *αἷμ' ἄνιπτον*, sanguis, qui nulla lavatione removeri potest, quum soleat esse talis, ut *ἄπλυτος* fieri possit pollutio, Eum. 281.

V. 1382. *τότε*, quum illa ad fastigium perniciei pervenerunt, quae designata fuerunt in lacuna.

V. 1383. *ἔρις* et *οἶζὺς* dicitur Clytaemnestra, ut Cassandra *ἄτη*. — *ἑρίδματος*, firme conditus, idem quod *εὔδμητος*. Exstructa est in aedibus quasi discordiae et calamitatis aedes, cu-

ius tam firma iacta sunt fundamenta, ut utriusque ruinam eodem tempore eventuram esse exspectari possit.

V. 1384 — 1389. Neve mortem tibi optes ob haec facta, neve Helenae irascaris ut quae virum everterit, ut quae multorum Danaorum vita perdita incomparabilem dolorem paraverit. — Freta subsidio Aegisthi superbiens liberali chori orationi interdicit regina: Nolo talia ex te audire neque tam ingentem de meo facinore dolorem neque convicia in Helenam prolata, quia utrisque maiestatem meam minuis. Ipsa enim regina calamitatum molem repetit e fatali genii auctoritate, cui se submittere debeant homines.

V. 1387. *ὡς ἀνδρολέτειρα*, cf. ad v. 409.

V. 1389. *ἀξύστατος* nihil significat nisi incomparabilis. *συνιστάναι* enim est componere, *συνίστασθαι* componi, vel ad pugnam (ut Theb. 435, 509, 672.) vel ad nuptias (ut Soph. Trach. 28.), vel fortuna cum miserie (ut Soph. Oed. Col. 514). Qui componuntur comparantur: id, quocum nihil componi potest, est incomparabile, est *ἀξύστατον*. Aegre fert regina, quod de facinore Helenae iudicium fertur, quasi hoc sit unum omnium improbissimum et quasi nihil tantopere Graecorum populum afflixerit.

V. 1390 — 1395. Geni, qui irruis in aedes duplicesque Tantalidas: tua auctoritas mihi apparet in paribus mulierum moribus, qui mihi animum mordent. In corpore instans corvi instar improbe carmine canendo gloriatur.

V. 1390. *ἐμπιτνεῖς*] cf. ad v. 1096. — *δίφυιοι* ut *διθρόνου Διόθεν* cett. v. 43: quia antea Atreus et Thyestes, nunc Agamemno et Menelaus fratres iunctissimi functi erant imperio. Cf. ad v. 3.

V. 1391. Ostendis mihi potentiam tuam in similitudine morum muliebrium positam. Notio ostendendi, apparendi latet in particula *ἐκ*. Intellige *κρατύνεις κρ. ἐκ γ.*, ita regis mulieres, ut appareat ex his, in his. Mulieres esse sorores Helenam et Clytaemnestram satis patet. In similitudine morum utriusque huius potissimum cernit chorus genii potentiam: apte igitur structura iunguntur *κράτος* et *ἰσόψυχον*.

V. 1392. *καρδιόδηκτος* cf. ad v. 687.

V. 1393. Fingit chorus genium Clytaemnestrae adstantem in corpore Agamemnonis, quem sua auctoritate occisum videt.

V. 1394. De improbis corvi moribus cf. Suppl. 751: *δυςάγνοις φρεσὶν, κόρακες ὥστε, βωμῶν ἀλέγοντες οὐδέν.* Et Pind. Ol. II, 87: *μαθόντες δὲ λάβροι παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὡς, ἄκραντα γαρύετον Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.* Hoc etiam loco molesta et garrula vox spectatur. Schol. *ὡς κόραξ ἐσθίων νεκρῶν σῶμα βοᾷ, οὕτω καὶ ὁ δαίμων ἐκνόμως δικάσει παρὰ τὸ δίκαιον.*

V. 1395. *ὕμνον*, carmen victoriae, quam de coniuge reportaverit Clytaemnestra. Quod hoc loco genius canit, ut alibi carmen Furiarum memoratur, *παιᾶν Ἐρινύων* v. 603.

V. 1396 — 1401. Nunc vere locutus es vetustum generis huius genium appellans. Inde enim cupido sanguinis in visceribus nutritur, ut, antequam desinat antiquus dolor, novus adsit cruor.

V. 1397. *τριπάλαιος*, ut *τριγέρων* Ch. 314. Similis est ratio vocis *τρικυμία* Prom. 1015. *τρίδουλος* Soph. Oed. Tyr. 1063.

V. 1399. *Ἔρως αἱματολοιχός*, cupido sanguinem lambens, quod nihil est nisi cupido sanguinis. De lambendo sanguine cf. v. 760. De Furiis sanguinem exsugentibus Eum. 264, 305. — Ceterum idem quod *αἱματολ.* designat *αἱματοῤῥόφος* Eum. 193.

V. 1401. *ἰχώρ*, cruor, *αἷμα μετασυμβεβηκός, ἔμπνουν.* Hesych. Cruor designat adesse caedem. Hic cruor, id quod e cupidine sanguinis proficiscitur, originem habet in ea cupidine; appositione adiungitur ipsi cupidini *ἔρως — ἰχώρ*. Vide ad v. 262.

V. 1402 — 1415. Gravis sane est genii ira, quae infinitum aedibus affert malum: idque per Iovem, qui omnia perficit: ut in omnibus his divinam cernamus auctoritatem (— 1407). Vae rex, quomodo te flebo, quid dicam e mente pia? Iaces in hoc araneo improbam obiens mortem (— 1412), hei mihi, hoc cubitu vi adacto: dolosa nece superatus bipenni securi. — Quum quasi glorietur Clytaemnestra genii illius impetu et potentia, monet chorus sane terribilem aedibus esse hunc genium, idque auctoritate a Iove concessa, quum omnia pendeant a Iove. Ita rem a superbo genii illius et Clytaemnestrae arbitrio ad Iovem transfert: primo iam regem flens, cuius exitium idem ille paravit, patratum quidem scelesto facinore. Quo audito quum de Iove monita sit,

omnem rem a sua mente ad genii auctoritatem reiicit Clytaemnestra.

V. 1402. *μέγας δαίμων* Pers. 725, gravis, immanis.

V. 1403. *βαρύμηνις* ut *βαρύκοτος* Furia Eum. 780.

V. 1404. *αἶνον* pendens ab *αἰνεῖς*: praedicas malam orationem perniciosae fortunae insatiabilis.

V. 1405. *παναίτιος*, qui totius rei auctor est. Oppositum voci *μεταίτιος* Eum. 200. Haec omnia solus Iupiter decrevit, neque sine eius auctoritate quidquam actum est.

V. 1407. Cf. Suppl. 822: *σὸν δ' ἐπίπαν ζυγὸν ταλάντου. τί δ' ἄνευ σέθεν θνάτοισι τέλειόν ἐστι;*

V. 1408. Exspectamus exhibiturum esse chorum, cur hanc ubique praesentem Iovis potentiam adumbraverit. Sed luctu de regis morte iam superatur chori animus: fundit et repetit querelas de sorte regis domusque regiae; itaque demum v. 1479 diserte enuntiat, quid in his rebus ab hac suprema Iovis auctoritate exspectandum sit.

V. 1413. *κοίταν* pendet a *κεῖσαι*, cui apposita sunt *ἐκπνεόων* et *δαμείς*. Pertinet structura ex anapaestis in stropham melicam nullo omnino discrimine, pariter atque quod v. 1381 sq. factum fuisse patet. — *κοίτα* de cubitu, quo mortuus iacet, ut *εὐνή* v. 1369. — *ἀνελεύθερον*, quo prostratus est necessitate coactus.

V. 1416 — 1423. Praedicas meum esse hoc facinus: neve recorderis me esse Agamemnonis uxorem. Specie uxoris huius mortui induta vetustus acerbus Atrei vindex saevi epulatoris hunc ultus est, adultum caedi puerorum addens.

V. 1417. *ἐπιλέγειν τινί*, dicere in aliquem (Suppl. 972). *ἐπιλέγεσθαί τινα*, commemorare aliquem (ib. 49.), id est sibi indicium facere de aliquo. Iam quid est *ἐπιλέγειν τινά τι*, nisi indicium alicui facere de aliqua re: quid *ἐπιλέγεσθαί τι* passivo genere, nisi indicium accipere de re? Qui indicium rei accipit, recordatur eius: vides igitur, inesse significationem recordandi in *ἐπιλεχθῆναι*, quae huic loco aptissima. Noli amplius recordari, noli amplius cogitare de ea re, me esse uxorem Agamemnonis; cogita solum de genio vindice.

V. 1420. *τοῦδ'* pertinet ad *νεκροῦ*. — *ἀλάστωρ Ἀτρέως*, vin-

dex Atreum puniens. ἀλάστωρ tum de homine criminis ultore (Eum. 236); tum de genio, cuius idem est munus: v. 1426. Pers. 354. Suppl. 415: *τὸν πανώλεθρον θεὸν βαρὺν ξύνοικον θησόμεσθ' ἀλάστορα.*

V. 1423. *νεαρὸς*, vide ad v. 76.

V. 1424 — 1437. Te innocentem esse in hac caede quis est qui testetur et ubi? Atqui ex paternis rebus adiutor exstitisse potest vindex. Trudit familiaribus sanguinis rivis niger furor, quo ipse progrediens suppeditabit cruori puerivoro. Vae rex, quomodo te flebo cett.

V. 1426. *πατρόθεν*, fieri potest, ut qui e scelere patris Agamemnonis ortus est genius vindex, te adiuverit.

V. 1427 sq. Furor grassatus rivis domestici sanguinis eo trudit (unumquemque qui in domo versatur), quo ipse perveniens copiam faciet cruori comesorum infantium. — Omnes generis calamitates pendent ab illo facinore Atrei, iam furor interior caede caedem trudit, novam moliturus perniciem primo illo facinore non inferiorem in natura nefaria. — *ὁμόσπ. ἐπ. αἱμ.* dictum pro *ἐπιῤῥοαῖς ὁμοσπόρων αἱμάτων.*

1429. *πάχνα κουρόβορος* dictum ut *ἐπιῤῥοὴ ὁμόσπορος* et *ἵρως αἱματολοιχός*. *πάχνα*, pruina, itaque dictum de cruore, de concreto sanguine. — *παρέξει*] suppeditabit cruori puerivoro, idem quod: suppeditabit, inserviet effundendo cruori comedendorum infantium, efficiet ut denuo effundatur cruor talis, ut denuo perpetretur facinus atrocissimum. *παρέχειν τινί* absolute dictum ut Latinorum suppeditare, copiam facere alicui. Ita *ἑτοιμός εἰμί σοι παρέχειν ἀποκρινόμενος* Plat. Protag. 92. *παρέχειν ἰατρῷ* Plat. Gorg. 25, 69, 79. *κακῶς παρέξω* sine dativo Aristoph. Lysistr. 227. Saepius huic dictioni additur infinitivus aliquis, velut Soph. Ai. 1146: *πατεῖν παρεῖχε τῷ θέλοντι ναυτίλων.* Cf. Plat. Theaet. 116. Eadem, quae in nostro loco, inest vis in voce *παρέχει* impersonali.

V. 1430. Denuo luctu victus querelas fundit chorus. De quibus quum primo ad designatam culpam necis responderit Clytaemnestra, nunc iustitiam facinoris probatura arripit vocem *ἀνελεύθερος.*

V. 1438 — 1447. Non mera necessitas ei mortem inflixit. Nonne enim ipse dolosam perniciem in aedes induxit? Meam

suamque prolem, multis lacrimis fletam Iphigeniam, quum ita tractaverit ut ipse tractatus est, ne glorietur in Orco, quum caede par pari retribuerit.

V. 1438. *οὐκ ἀνελ.*, quod non sine eius, de quo dicitur, voluntate fit, in quo conspicitur eius voluntatis aliquid. Iam si ea ratione, qua occiditur rex, ei obtemperatur legi, quam ipse in aedes intulit, dici potest in hoc facinore inesse aliquid eius voluntatis, haud quidem sine ironia, qua saepissime utitur Clytaemnestra.

V. 1440. *δολίαν ἄτην*, dolosam perniciem. In hoc dicto videtur latere indicium, Aeschylum quoque eam retinuisse fabulam, qua per simulatas nuptias cum Achille habendas Aulidem vocatur Iphigenia. Probabile est haec, quae petita erant e Cypriorum libro septimo, in tragoedia Iphigenia exhibuisse poetam.

V. 1443. *πολύκλαυτόν τ'*] Appositionem particula τε adiunctam vide ad v. 194.

V. 1444. *ἄξια δρ.* cett.] quum eam rationem, qua Iphigeniam tractavit, dolosum artificium, dignam rege iudicaverit, eadem ratione et digna quidem eo ex ipsius voluntate et sententia, tractatus est ipse.

V. 1446. *ξιφοδήλητος ἀγών*, Ch. 729.

V. 1448 — 1454. Egeo, destitutus consilio, facili officio, quo me vertam, quum corruat domus. Metuo sanguineum imbris strepitum perniciosum: desinit gutta. Iustitia ad aliam rem calamitosam perficiendam acuit, acuit aliis exactionibus sors.

V. 1449. *μέριμνα*, cura, negotium et ratio qua perficitur negotium.

V. 1450. Metuo, ne non amplius singulae caedes perpetrentur in aedibus, quae cum guttis comparari possint, sed universa clades, imbris instar, qua perdatur domus. Hoc imbre designatur summum illorum sanguinis rivorum, quorum v. 1427 meminit, fastigium, quod ibi exspectavit in facinore aeque cruento ac facinus Atrei.

V. 1453. Iustitia acuit gladium, quo aliud calamitatis munus perfectura est. Idem agit sors, itaque voci *δίκη* apposita est *μοῖρα*, praedicatum utriusque sententia *θηγάνει*. Iustitia acuit, id est: id quod iustum est parat perniciem: sors acuit, id est: ipsa

improborum hominum sors, cuius fines illi sunt transgressi, accelerat perniciem. Iustitia acuit πρὸς ἄλλο πρᾶγμα βλάβης, ut nova, eaque non singulorum tantum, sed universa oriatur pernicies, sors acuit aliis exacutionibus, id est: accedunt nova, quae hanc perniciem afferunt. Exspectat chorus novas caedes domesticas et ex iis concitatum iri populi iram, ut lapidatione genus improbum exstinguatur: id quod designaverat Cassandra. Ceterum similis dictio est Ch. 646: δίκας δ' ἐρείδεται πυθμήν· προσχαλκεύει δ' αἶσα φασγανουργός· τέκνον δ' ἐπεισφέρει δώμασιν αἱμάτων παλαιτέρων.

V. 1454. θηγάνη, cos, hoc loco exacutio, ut Eum. 859. Soph. Ai. 820. Ita v. 937 σφενδόνη de iactu.

V. 1455 — 1466. O terra, utinam me recepisses, antequam hunc viderem obtinere lectum argentei labri. Quis est qui eum sepeliat, qui eum fleat? Num tu hoc audebis, quum occideris virum, improbe perficere invisum officium pro immani facinore? Quaenam laudatio lacrimis iuncta vera pietate operam dabit viro divino?

V. 1457. δροίτη ἀργυρου. dicitur vas, quo lavabatur Agamemno, quod antea λέβης 1054. Vox δροίτη de eodem Ch. 999. Eum. 633. — χαμεύνη, στιβὰς καὶ ἡ ταπεινὴ κλίνη. καὶ χαμεύνης ὁ χαμαὶ κοιμώμενος. Hesych. Vox χαμεύνη Theocr. XIII, 33. de humili lecto, idem quod χαμαιευνή, ut χαμεύνης idem quod Homeri χαμαιεύνης Hom. Il. XVI, 234. BOTH. Cf. ad v. 1369.

V. 1458. Sepulcro et lamentationibus egebant mortui ut testimonio honoris, quo apud superos haberentur, quum apud inferos ab illo omnis honor penderet. Utrumque igitur officium ab Ulysse exigit Elpenor Hom. Od. XI, 72. Propterea maximopere conqueritur Electra sepultum esse patrem sine lamentationibus et sine comitatu civium Ch. 431 sqq., id quod constituit Clytaemnestra v. 1470.

V. 1461. ἄχαριν χάριν ut Ch. 42. Egebat hoc officio Agamemno, quod tamen a Clytaemnestra sibi invisa expletum non poterat esse ei non invisum.

V. 1463. μεγάλα ἔργα, facta quae iustos fines excedunt, ut μεγαλόμητις de superbo dictum v. 1348. Cf. Theb. 565.

V. 1464. ἐπιτύμβιος αἶνος, idem quod ἐπιτύμβιος θρῆνος

Ch. 334. vel ἐπιτυμβίδιος θρ. ib. 342. Tales lamentationes proferre laudem eius, qui defletur, vides in Choephororum loco.

V. 1465. αἶνος ἰάπτων ἐπ' ἀνδρί, laus viro iniiciens telum dicti, τόξευμα vel βέλος ἐπέων, solita metaphora. Omissum est id quod iniicitur, ut quod facile subaudiatur. Structura ut Theb. 544. ὡς πλεῖστ' ἐπ' ἀνδρὶ τῷδ' ἰάπτεσθαι βέλη. Displicet ratio eorum qui iungunt ἰάπτων ἀληθείᾳ: haec enim vox divelli non potest a πονήσει, ut qua designetur natura operae adhibitae.

V. 1467 — 1475. Tuum non est commemorare hanc curam: a nobis occisus ille a nobis sepulcro tradetur: non inter lamentationes familiarium: sed Iphigenia filia blande, ut decet, patri obviam profecta ad flumen luctus eum amplexa osculabitur.

V. 1471. ἀσπασίως θυγάτηρ ὡς χρή. Denuo habes acerbam Clytaemnestrae ironiam: qua non opus esse contendit Agamemnoni lamentationibus, quippe quem blande recipiens laetum redditura sit filia. Scilicet exspectat Clytaemnestra molestissimum fore Agamemnoni Orcum intranti adspectum umbrae filiae a se necatae sibique propter hoc infensae, ut cui vox vi esset coercita in sacris peragendis ne exsecrationes funderet (v. 213). Notum est manere mortuis odium, quod vivi conceperunt, ut Aiaci invidia in Ulyssem Od. XI, 543 sqq.

V. 1474. πόρθμευμ' ἀχέων, Acheron dictum ab ἄχεσι. Quem umbris transgrediendum esse vide Theb. 856. Cf. v. 1082.

V. 1476 — 1482. Ignominia haec venit pro ignominia: difficilia sunt discretu. Afferunt afferentes et poenam luit occisor. Manet manente per aevum auctoritate Iovis lex, qua patiendum est ei qui egit. Legitimam enim exsecrationum stirpem quis est qui eiiciat ex aedibus? Adhaeret, ut adiungat sobolem.

V. 1476. ὄνειδος, res quae ignominiam affert, Theb. 539. Ch. 495.

V. 1477. δύσμαχα cett.] Victoriam in earum pugna decernere difficile est. Concedit chorus et in Agamemnone et in Clytaemnestra haerere sceleris maculam: confitetur difficile esse decretu, in quonam sit maior impietas. Id vero certo scit, quum in omnibus generis huius fatis par pari retributum, mors semper morte multata sit, manere hanc legem, dum maneat Iovis auctoritas. Ex quibus efficitur idem instare Clytaemnestrae, quae

nullo modo eam adipisci possit potentiam, ut genium illum, qui novas semper caedes excitaturus sit, ex aedibus eiiciat. — δύσμαχος debellatu difficilis Prom. 921. — ἐστί, ταῦτα τὰ ὀνείδη. Is qui decernit non est chorus, sed numen quod pugnam gubernat (Cf. Theb. 414).

V. 1478. φέρει φέροντ', afferunt afferentes: ignominiae afferunt novas ignominias, quae denuo novas allaturae sunt. Subiectum est ὀνείδη, ut in praecedenti versu. Crescit ignominiarum, id est scelerum ignominiosorum, seges. Additur: occisor vero luit poenam, ut designetur, in quibus posita sit haec repetita ignominia, in caedibus scilicet domesticis. Ignominia, quam caesa filia sibi paravit Agamemno, adducit novam ignominiam (ὀνείδη φέρει), quae novae cladis causa fiet (φέροντα). Quod per aufert plerique interpretes vertunt vocem φέρει, hic sensus omnino in ea non inest, sed in medio, activi est afferre.

V. 1479. ἐν χρόνῳ, progrediente tempore vindicta manet eum, qui egit, quia manet Iovis auctoritas. In unoquoque temporis momento adest Iovis potentia, in uno aderit vindicta.

V. 1480. παθεῖν τὸν ἔρξαντα, ut Ch. 313: δράσαντι παθεῖν. — θέσμιον γονὰν ἀραῖον, exsecrationum prolem iusta lege exortam et imperium adeptam.

V. 1481. κεκόλληται cett.] adhaeret ita, ut etiam sobolem suam adiungat aedibus. Illa generis exsecrationum soboles est nova caedes, quae minatur Clytaemnestrae. κολλᾶν, arctissime coniungere, de materia iungenda ut exstruatur aedes Pind. Ol. V, 13; de componendo carmine Nem. VII, 78. Itaque κεκολλῆσθαι, coniunctum esse, cohaerere, adhaerere. προσάπτειν vero non esse adhaerere, quod somniant interpretes, sed admovere, adiungere, docet usus vocis ἅπτειν v. 1525. Ch. 868. Eum. 307. Qui quum non intellexerint accusativum esse γένος, pendentem a προσάψαι, variis coniecturis turbaverunt locum.

V. 1483 — 1493. In hanc vaticinationem cum veritate perventum est. Equidem pactione cum genio Plisthenidarum facta haec quidem probare volo, etsi vix tolerabilia: in futurum vero ut relicta hac domo aliud genus conterat necibus domesticis. Sufficit mihi parva possessio, modo mutuarum caedium rabiem ex aedibus tollam.

V. 1483. *ἐνέβη*] subaudi *λόγος*, *χρῆμα*, *πρᾶγμα*, id potissimum quod de Iphigeniae caede dictum est. Tota generis Atridarum ratio probat veritatem huius vaticinationis. Quibus ipsa confitetur regina metum suum, cui nunc remedium admotura est pactione inita cum genio illo. *ἐμβαίνειν* est ingredi, incedere, *ἐμβαίνειν τινί*, aggredi aliquem (Pers. 911) vel ingrediendo laedere (v. 878). *ἐμβαίνειν ἐπί τινος*, vehi aliqua re velut in curru. (Soph. Oed. Tyr. 803). Vides fortem hac voce designari motum: itaque *ἐμβῆναι εἴς τι* idem designat quod pervenire ad aliquem statum. Quod bene de re universa dicitur: pervenit res, provecta est res cum veritate in hanc vaticinationem, id est: vera haec vaticinatio e ratione rerum nostrarum effecta est.

V. 1485. Nunc Plisthenidae dicuntur ut v. 1518. iidem qui antea Tantalidae v. 1390, et Pelopidae v. 1516. Quum Atreus pater diserte dicatur Agamemnonis v. 1506, Plisthenem in maiore quopiam loco in generis tabula ponendum esse apparet, ut aut Pelopis pater aut filius ab Aeschylo habitus sit. Puto filium et id revera esse ex antiquissima fabulae forma repetitum. Pelopis proles imperium suum auget, transfert ab Elide in Argos et Mycenas, ut nunc penes eam sit summa in Peloponneso auctoritas; hanc auctam potentiam (*πλεῖον σθένος*) vocabulo *Πλεισθένους* designatam reperire mihi videor.

V. 1486. *ὅρκους τίθεσθαί τινι*, pacisci cum aliquo, ut *ὁρκωμοτήσας τῷ σῷ στράτῳ* Eum. 764. — *τάδε μέν*, caedem Iphigeniae, quae me gravissime laesit.

V. 1487. *ὃ δὲ λοιπόν*, quod vero reliquum est. Alibi *ἐς τὸ λοιπόν*. — *ἰόντα τρίβειν* pendet ab *ἐθέλω*.

V. 1489. *αὐθέντ αισι*, iis necibus in quibus domestica caedes perpetratur. Licet enim vulgari usu quemvis occisorem designet *αὐτοέντης*, apparet tamen e voce *αὐτός* initio cogitatum esse de eo, qui suorum aliquem occidit. Cf. ad v. 1016. Scilicet antiquissimo tempore nulla aliarum caedium habebatur ratio. Simili ratione vocis parricidae notio amplificata est.

V. 1490. Sufficit mihi, si et pauca possidebo et rabiem domesticam sustulero.

V. 1491. *ἀπόχρη*, *ἐξαρκεῖ*. Hesych. — *ἀλληλοφόνοι μανίαι*, ut *ἔρως αἱματολοιχός* v. 1399.

Exodo v. 1493 — 1589 exhibetur Aegisthus accedens cum manu satellitum, laetans de caede et glorians se esse eius auctorem, vindicem fratrum quos trucidaverit Atreus, ultorem exsilii, quo eiectus sit ab Agamemnone (— 1527). Cui adversatur chorus, tumultum populi minatus, ignaviam Aegisthi qui regem, de cuius caede iactationes fundat, ipse occidere non sit ausus, aspernatus. Ad quae minis respondet Aegisthus imperium occupaturus: chorus vero ab Oreste ultionem et liberationem exspectat (— 1564). Quibus concitatus vim choro inferendam parat Aegisthus, quem ab hac retrahit Clytaemnestra, neque tamen tacet invidia chori et Aegisthi: Clytaemnestra vero haec parum curans monet, ut arcem occupet (— 1589). — Tres sunt huius scenae partes, prima oratio Aegisthi, secunda chori et Aegisthi altercatio: tertia eadem ad iram et vim aucta: quo sensu commoto finitur tragoedia.

V. 1493 — 1527. Video iam exsultans divinam vindictam apparentem in nece huius mortui (— 1498). Atreus enim de imperio certans eiecit fratrem Thyestem, qui supplex reversus ab illo receptus est: sed horrendis epulis e filiorum carne paratis deceptus, quam quum se comedisse intellexisset, toti Pelopidarum generi perniciem imprecatus est (— 1518). Haec est caedis huius causa, quam ego suscepi, quia me infantem cum patre et fratribus eiecit Agamemno: adultus reversus sum, insidias struxi, quae quum successerint, vitae fastigium adeptus sum (— 1527).

V. 1493 — 1498. Salve dies iustitiae! Nunc deos vindices humani doloris curam habere dicere possum, quum in reti Furiarum iacentem videam hunc virum luentem poenas paterni facinoris.

V. 1495. *γῆς ἄχη*, dolores quae in terra sentiuntur. Cf. Ch. 585.

V. 1496. *πέπλος Ἐρινύων* dicitur tunica perniciosa, quia hac arte exsecrationes Thyestis ratas faciunt Furiae: cf. v. 1511 sqq.

V. 1498. *χερὸς μηχανή*, id quod callide perfecit manus. *μηχανὴ* pro *μηχάνημα*, ut *σφενδόνη* pro *σφενδόνησις* v. 937.

V. 1499 — 1502. Atreus enim huius terrae rex, huius patet, patrem meum Thyestem suumque fratrem, certans de potestate, in exsilium egit.

V. 1500. ὡς τορῶς φράσαι respicit eam, quae praecedit, disertam patris utriusque et filii utriusque mentionem.

V. 1501. ἀμφιλεκτος. Cf. ad v. 813. Vides Atreum regnare et tamen certare de potentia cum Thyeste. Itaque Thyestem apparet conatum esse sibi vindicare imperium, eamque fuisse causam, cur eum eiecerit Atreus. Sed adest etiam alia causa, de qua tacet Aegisthus, adulterium Thyestis, designatum v. 1114. Neque tamen haec discrepant, modo totum intellexeris fabulae antiquae connexum. Referunt poetae Thyestem dedisse operam Aëropae, ut eius ope potiretur ove aureo vellere praedita, quam possidebat Atreus (Eur. Electr. 720. Orest. 812). Hac ove aurea vix quidquam designatum esse potest, nisi divitiae Atridarum, inter quos Thyestem ovium gregibus abundare dicit Homerus (Il. II, 106). Ove divitiae eadem ratione, qua sceptro Homerico imperium designatur. Iam satis patet divitias esse optimum imperii fundamentum, quas si Aeropae ope Atreo subtrahere poterat Thyestes, facile perventurus erat ad ipsam potentiam. Quod consilium quum detexisset Atreus, eiecit fratrem. Divitiarum usum vide ad v. 1554.

V. 1503 — 1509. Et supplex ad focum quum rediisset miser Thyestes, vita ei concessa est tuta. Iam improbus ipsius huius viri pater meo patri libenter potius quam amice ut hospitale officium magnam liberaliter instituere visus hostiarum mactationem, apposuit epulas carnis liberorum.

V. 1503. Vi eiectus iam sine armis supplex Thyestes Atreo se tradidit, per focum eius tutelam implorans. Supplicem occidere nefas habebatur: itaque eum comiter recepit Atreus, tutum a mortis periculo. At adulterii haud oblitus crudelem paravit ultionem. — προστρόπαιος ἑστίας ut Ulysses apud Alcinoum Od. VII, 153, e communi more, quia focus sanctissimus erat aedium locus, ubi summa erat violentiae in eum, qui ibi consederat, committendae religio.

V. 1504. μοῖρα, vitae conditio.

V. 1506. αὐτοῦ, ibi, ubi nunc iacet Agamemno. Gloriatur Aegisthus hunc ibi iacere, ubi Atreus vita quidem fratri concessa, epulas nefarias paraverit, ut pro ludibrio illud vitae donum haben-

dum esset. — ξένια, hospitale officium. Cui appositum est δαῖτα v. 1510.

V. 1507. προθύμως cett.] Libenter haec omnia parat Atreus, id quod ex amore fratris repetendum videtur, revera vero non ex amore, sed e desiderio efficiendi consilii oritur.

V. 1508. κρεουργὸν ἦμαρ, die in quo carnis multitudo est paranda, idem fere quod βούθυτον ἦμαρ Ch. 261. — Aliquatenus respondet Romanorum visceratio, carnis distributio, quae fieri solebat in sollemni festivitate, et praecipue in feriis Latinis. STANL.

V. 1510 — 1518. Extremos pedum et manuum digitos confregit et distribuit singillatim. Eorum nonnulla, quae non poterant agnosci, ignarus sumens, comedit cibum perniciosum, ut vides, generi. Ac deinde intellecto facto nefando lamentatus est seseque vomens a mactatione abripuit, fortunamque intolerabilem Pelopidis imprecatus, epularum horrorem iungens cum exsecratione, ut ita intereat omnis Plisthenis proles.

V. 1510. ποδήρη, pedibus apta, id est digiti qui pedibus quasi adhaerent. cf. ad v. 830. — κτένας, pectines extremos manuum.

V. 1511. θρύπτειν, confringere. θρύψαι, θραῦσαι, κόψαι, κλάσαι. Hesych. Inde διαθρύπτεσθαι, infringi, emolliri Prom. 891. — Confregit digitos, ut formam eorum mutaret et destrueret, ne humani artus agnoscerentur. Eandem ob rationem singillatim eos distribuit, ne in oculos caderet forma pectinis. — ἀνδρακάς, κατ' ἄνδρα ἕνα ἕκαστον, ἐπιῤῥήματικῶς ὡς εἰπεῖν καθ' ἕνα, ἢ κατ' ἄνδρα. Hesych. τὸ κατ' ἄνδρα, χωρίς. Suid. singillatim. ἀνδρακὰς ἀντὶ τοῦ καθ' ἑαυτόν. Gl. Farn. — Vox repetita ex Homero Od. XIII, 14: a viris singulis. Virorum notionem omnino neglexit Aeschylus, dicens de disiunctis singulis digitis. — καθημένους, collocatos, ἄκρους κτένας. Proprie καθημ. est considentes, sed neglecta est sedendi notio, ut in ἕζεσθαι v. 279. — ἄνωθεν, desuper et singillatim collocati erant digiti, ne agnoscerentur. Itaque notione desuper designatum videtur eos esse submissos inter aliam carnem.

V. 1512. ἄσημα δ' αὐτῶν· nonnulla ex iis, quae nullo signo agnosci poterant.

V. 1513. ἄσωτος, perniciosus Soph. Ai. 190. — ὡς ὁρᾷς, ut apparet. Aptissima est haec mortui Agamemnonis designatio in mentione epularum Thyestis, in quibus eius ansam collocat Aegisthus. Vides hunc ubique revertentem ad mentionem Agamemnonis, v. 1497, 1499, 1506, 1519.

V. 1515. ἀμπίπτει, impetu surgit, abripit sese ab illa carne, ἀπὸ σφαγῆς. Displicet ea interpretandi ratio qua scribitur ἄπο σφ. ἑμῶν pro ἀπεμῶν σφαγῆς. Sufficit vomendi mentio: invenustum est commemorare quidnam evomuerit.

V. 1516. μόρον ἄφερτον Ch. 441.

V. 1517. ξυνδίκως τιθείς, uno iure iungens.

V. 1518. Totius generis interitum praedixit etiam Oedipi exsecratio: Theb. 690, 695, 709, 787. Vides Plisthenis nomen in genere tam late patere quam Pelopis, ut ab hoc proxime abesse indicandus sit. Ille enim μόρος ἄφερτος, quem Pelopidis imprecatur Thyestes, est haec ipsa exsecratio, quae toti generi minatur.

V. 1519 — 1527. Haec est eius necis causa, ego vero sum iustus eius auctor. Decimum tertium enim filiorum me cum patre expulit, quum parvus in fasciis versarer. Adultum iustitia reduxit: e longinquo eum aggressus sum, omne parans perniciosi consilii artificium. Ut nunc vel mors mihi esset decora, quum hunc captum viderim retibus iustitiae.

V. 1520. ῥαφεὺς φόνου, ut Hom. Od. XVI, 422: Τηλεμάχῳ θάνατόν τε μόρον τε ῥάπτεις.

V. 1522. Cognoscimus ex his bona pace cum liberis Thyestem vixisse Argis novosque progenuisse filios post illud Atrei facinus, usque dum ab Agamemnone eiectus sit. Quod quum factum esse non possit sub imperio Atrei, quod non ferendum erat Thyesti post tale facinus, demonstravi ad v. 1016. occisum esse Atreum ab irato Thyeste et potentiam regiam ab hoc occupatam, donec ab Agamemnone recuperata sit. Tacet Aegisthus de hac caede Thyestis, quia omnino tacet de sceleribus, quae Thyestes commisit, ne ius suum ipsius infringat.

V. 1525. δυσβουλία dici solet de malo consilio, quod ei, qui hoc cepit, perniciosum est, ut Theb. 802. Soph. Ant. 95, 1269. Hoc loco de consilio alii pernicioso.

V. 1526. καλὸν cett. Quum id perfecerim, quod principale

erat vitae meae munus, morte decora obirem, si obeundum esset. Similis sententia v. 497.

V. 1527. *ἰδόντα* post *ἐμοί*, ut *κλύουσαν* post *μοι* Ch. 411.— Hoc loco *ἰδόντα* pertinet ad *τὸ καθανεῖν*, *ἐμοὶ* ad *καλόν*.

V. 1528 — 1532. Aegisthe, superbiam in ignavis sperno. Tu ais te sponte hunc virum occidisse, et solum esse huius caedis miserrimae auctorem: aio iuste tuum caput non evitaturum esse populi exsecrationem et lapidationem.

V. 1528. *κακός*, ignavus, ut 1559, 1581. Non ut de malis dictum intelligendum videtur *ἐν κακοῖσιν*. Neque enim ipse in mala re versabatur Aegisthus, et si superbiam in alienis malis ostensam vituperaturus esset chorus, aptius fuisset hoc addere.

V. 1530. *ἔποικτος*, lamentandus, alibi non exstat, sed hoc loco aptissimum et optime ad leges analogiae formatum est. *ἄξιον οἴκτου* Gl. Farn.

V. 1531. *οὔ φημ'*· Asyndeton, quod offendit nonnullos, optime exhibet directo contrariam chori sententiam, quae alteri opponitur, nulla intercedente particula, quae disertam hanc diversitatem infringeret.

V. 1532. *δημοβόρους ἀρὰς*, exsecrationes quae crescentes e verbis transeunt in actum, in lapidationem. De qua dixi ad v. 1042. De voce *δημοβόρος* cf. ad v. 870.

V. 1533 — 1540. Dicis haec ad inferiorem remum collocatus, quum eorum sit navis arbitrium qui iugo insident: agnosces, quam seni sit molestum doceri, si sapere iussus est. Vincula vero et ieiuni dolores optime vel senectutem docent et mentem curant. Nonne vides haec videns? Noli calcitrare adversus stimulos, ne feriendo labores.

V. 1534. *τῶν ἐπὶ ζυγῷ* dictum de iis remigibus, qui propius absunt a media navis parte. Tres sunt remigum ordines: Schol. Arist. Ran. 1101: *ἦσαν δὲ τρεῖς τάξεις τῶν ἐρετμῶν, καὶ ἡ μὲν κάτω θαλαμῖται, ἡ δὲ μέση ζυγῖται, ἡ δὲ ἄνω θρανῖται.* Thalamitae sub thranitis, zygitae ab interiore utrorumque parte sedebant: thalamitae igitur etiam zygitis sunt inferiores, qui si ipsi thranitis, moventur tamen liberius quam hi, qui ab altera parte ipsos ab altera navis tabulam habet. Fateor tamen artificiosiorem mihi videri hanc explicationem: probabilius est de biremi

cogitavisse Aeschylum, ibique superiorem ordinem dictum esse zygitas. Schol.: *οἱ γὰρ ζυγοὶ τῶν θαλαμίων ἄνωθέν εἰσι.*

V. 1535. *διδάσκεσθαι* cf. v. 1347.

V. 1536. *σωφρονεῖν εἰρημένον· προσταγὲν αὐτῷ.* Gloss. Farn. Nominativus absolutus, qui sollemnis est in usu participiorum a verbis impersonalibus descendentium.

V. 1537. *καὶ τὸ γῆρας*, accusativus pendens a *διδάσκειν*: vel senectutem, cui molestius et difficilius est discere.

V. 1538. *ἰατρόμαντις*, qui ex divino afflatu artem medendi callet, ut Apis Suppl. 263 et ipse Apollo Eum. 62. Videt Aegisthum huius medicinae mentione irridere chorum.

V. 1540. *πρὸς κέντρα* cett. Cf. Prom. 343: *πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς.* — *παίσας*, ue si pede feris stimulum, vulnere accepto dolorem sentias.

V. 1541 — 1543. Tune, mulier, eos, qui modo e proelio venerunt, quum domi lectum viri custodires, turpans simul, viro regi hanc necem molita es? Aegisthum aspernatus iam denuo ad Clytaemnestram se convertit chorus, exprobrans ei adulterium, quod patet ex ea auctoritate, quam de reginae consiliis se exercuisse iactat Aegisthus; nondum patebat e mera benevolentia Aegisthi, quam memoravit Clytaemnestra v. 1358. Augeri hac re Clytaemnestrae scelus satis apparet, chorumque antea nihil certi de hac re novisse inde patet, quod nihil in omnibus eius lamentationibus et conviciis adversus reginam prolatis dicitur de adulterio, sed loquitur nonnisi de ipsius caedis improbitate v. 1370 — 1492. Quod ad Aegisthum hanc orationem dictam esse putaverunt editores novissimi, qui mulier appellatus sit, ut apud Homerum *Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί*: id statui nequit, tum quia, si hoc designaturus erat poeta, dicendum erat *αἰσχύνων*, tum quia odiosa est eadem cogitatio chori Aegistho ter repetita: nam si haec Aegistho dicuntur, idem fere continetur et v. 1528 sqq. et v. 1541 sqq. et 1549 sqq.: ut minime procederet oratio, id quod misere langueret. Praeterea ea cogitatio, qua adulter dicitur mulier polluens viri lectum, quam pulcherrimam censet Wellauerus, mihi et inepta videtur et invenusta.

V. 1541. *τοὺς ἥκοντας·* accusativi pendent ab *αἰσχύνουσ' ἅμα.* Dicitur Agamemno, et numerus pluralis eum habet sensum,

ut augeat vim dedecoris: dehonestans eum qui is est ut e proelio veniat: talis enim eo maiore recipiendus est honore, quia labor viri mulieres domi sedentes alit (*τρέφει γὰρ ἀνδρὸς μόχθος ἡμένας ἔσω*). Pluralis pro singulari ponitur, ubicunque designandum est esse universi aliquid in conditione eius de quo sermo fit, ut Eur. Herc. fur. 455. Omniumque eorum, qui sequuntur Agamemnonem e bello reversi, honor in eius honore positus est, ut hac etiam ratione pluralis explicari possit. Cf. Bernh. Synt. p. 61. Quod ab *οἰκουρὸς* accusativum pendere putaverunt interpretes, hoc fieri nequit. *οἰκουρὸς* est is, cuius est *οἴκου ὅρος*, qui domus limites tenet: itaque quod intra hos limites positum est, accusativus voci adiunctus designare potest, minime id quod extra. Itaque iungendum est *οἰκουρὸς εὐνήν*, custodiens lectum, ut *πόλιν οἰκουρεῖν*, civitatem habitare v. 741.

V. 1542. *αἰσχύνειν τινά*, frequens dictio, mulier *αἰσχύνουσ' ἄνδρα* Eur. Hipp. 420, *πατέρα* Hel. 727. — *ἅμα* participio additum ut Ch. 897: *βρέξων ἅμα ἐξήμελξας*. Est ei hoc loco sua vis: tune sceleri parricidii parati addidisti scelus turpandi lectum?

V. 1544 — 1548. Haec etiam verba fletum progignent. Orphei contraria est lingua tua. Ille enim omnia voce ad laetitiam duxit: tu excitans placanti latratu ducturus es: superatus vero mitior apparebis.

V. 1544. Reginae causam agit Aegisthus, choro exprobrans, quod in omnes invehatur conviciis, modo in se, modo in Clytaemnestram.

V. 1545. Orpheum pisces et aves cantu convocantem exhibet Simonid. fr. 9. Anal. I, 122, convocantem feras et arbores Eur. Bacch. 562, moventem rupes et mulcentem omnia quae velit Eur. Iph. Aul. 1212. Propterea dicitur pater carminum Pind. Pyth. IV, 176, eiusque carmina pulcherrima omnium habentur, quae audire possit aliquis, Eur. Med. 543. Perficit haec omnia vi ab Apolline sibi concessa, quae tanta est, ut vel ipsam mutare possit rerum naturam carminibus, sane excedens fines humanae potestatis. In hac vi mutandae rerum naturae posita est origo cogitationum tum de incantationibus ab Orpheo repetitis, quarum meminit iam Euripides (Cycl. 646), tum de Orphica ratione colendi deos, qua dissolvuntur definiti deorum mores et

certa indoles, omnesque res divinae ad symbola et allegorias referuntur. Quae accuratius expostui in articulo de Orpheo rebusque Orphicis in Univ. Encyclopaedia exhibito.

V. 1547. ἡπίοις ὑλάγμασιν pertinent ad ἐξορίνας: ἄξῃ sine dativo dictum designat: tibi abducturus es. — ἤπιον dictum de omni, quod mite est et lene, deinde quod mitem facit, quod mulcet: ἤπια φύλλα (Soph. Phil. 698), quae dolores leniunt. Ita Orphicorum potissimum carminum aptum cognomen est ἤπιος: quare ironice etiam chori verba ἤπια dicit Aegisthus, simul vero ὑλάγματα. Tu incantationes tuas latratu perfecturus es.

V. 1549 — 1551. Tunc mihi eris Argivorum tyrannus, qui quum molireris mortem, ipse hoc opus perficere non ausus es?

V. 1549. τύραννος] Tyrannidem occupaturum esse Aegisthum, tum e satellitibus, tum e voce κρατηθείς, ex qua sibi senatui vim illatum iri agnoscit, chorus intelligit. Poterat quidem eadem cernere iam e minis iis quae proferuntur v. 1535 sqq., tum vero ne responsione quidem dignatus est Aegisthum, sed Clytaemnestram allocutus. Pro qua quum iam denuo dicat Aegisthus minasque repetat, chorus rationem contemtus sui, quem antea modo designaverat (v. 1528), ibi indignatione potius ostensa clarius exhibet.

V. 1550. οὐκ — οὐκ fortis negatio in vocabulo repetito posita, quae decet concitati animi orationem. Idem Suppl. 884. ὁλκὴ πλόκαμον οὐδάμ᾽ ἅζεται. Et Soph. Trach. 1014: οὐκ ἔγχος τις ὀνήσιμον οὐκ ἀποτρέψει. Cf. Herm. Soph. Antig. 5.

V. 1551. αὐτοκτόνως, ita ut ipse eum occideres. Solet haec vox dici de iis qui cognatos occiderunt, ut de fratre fratrem interimente Theb. 681, 805, et ita αὐτοκτονεῖν ib. 734. Soph. Ant. 56. De qua re hoc loco non cogitandum.

V. 1552 — 1558. Dolus mulierem decebat: equidem suspectus eram ut inimicus vetustus. Huius vero divitiarum ope conabor regere cives: eumque qui non obediet, molestiis adiungam ut equum contumacem, caligo et fames eius animum emollient.

V. 1552. Dolum efficere omnino melius decet mulierem quam virum, et in hac re necessarium erat, quia, si adfuisset Aegisthus in conspectu Agamemnonis, suspicionem is concepisset omnique eum nocendi occasione privavisset. — πρὸς γυναικὸς v. 550. —

Qui Aegistho dictos putant v. 1541 — 1543, in hoc nostro loco irrisum chorum ab Aegistho reperire sibi videntur, quasi sane se in hac re mulieris instar egisse dicat. At hac interpretatione tum concidit vis oppositionis Clytaemnestrae et Aegisthi, designatae voce ἐγὼ δ', tum omnino non decet fateri Aegisthum se ignavi aliquid commisisse, cuius vitii speciem potius omni excusatione sibi removendum erat in hoc regni occupandi conatu.

V. 1554. χρήματα numero plurali positum utrique tragico semper divitias designat. In divitiis potentiae viam cernit Aegisthus, ut Thyestes Aëropes ope Atrei divitias sibi paraturus fuerat: de qua re dixi ad v. 1501. Ante omnia enim locatis satellitibus opus erat tyranno, neque adhuc habuerat Aegisthus, quo his stipendium solveret. Tamen locavit et iam secum adducit: id quod apparet e v. 1556.

V. 1556. ζεύξω βαρείαις, subaudi ζεύγλαισι. Cf. Prom. 462: κἄζευξα πρῶτος ἐν ζύγοισι κνώδαλα ζεύγλαισι δουλεύοντα. Nihil est, quod ὄδοῖσι, ἀνάγκαις, ἄταις, πημοναῖς, πληγαῖς, alia afferunt interpretes. In tali sermone id tantum subintelligi potest substantivum, quod et forma et sensu proxime abest ab ipso verbo. Itaque ne sufficeret quidem σείραις, quod attulit alius, neque de hoc cogitari potest, quia diserte dicitur differre ratio equi σειραφόρου ab eo qui his iunctus est loris. — οὔτι μὴ σειραφόρον κριθῶντα, accusativus designans eam conditionem, quae efficitur eo, quod declarat verbum, ut non sit funalis lasciviens equus. σειραφόρος equus funalis iugalibus additus, cui minor est trahendi labor.

V. 1557. κριθῶντα. Scholiastes: οὐχ ὑποζεύξω τὸν μὴ πειθαρχοῦντα ὡς κριθῶνται πῶλον, ἤγουν πίονα ταῖς κρίθαις καὶ τρυφῶντα, ἀλλὰ συγκλείσας καὶ λιμώττειν ἐάσας πραΰνω. — δυσφιλὴς v. 1153. Invisa fames opponitur lasciviae equi bene hordea nutriti.

V. 1558. ξύνοικος fames caligini in vinculis. Ita κόνις πηλοῦ ξύνουρος v. 453.

V. 1559 — 1564. Cur igitur virum ex ignavo animo non ipse occidisti, sed mulier, quae terram gentisque deos polluit? An vivit Orestes, ut reversus huc bona fortuna hos ambos interimat?

V. 1559. Omnino non curat chorus excusationes Aegisthi, quasi dolus mulierem magis deceat et ipse suspectus fuerit: sed has ipsas pro signis ignaviae habet et exprobrationem repetit, certo exspectans facilem fore Oresti redeunti victoriam.

V. 1561. *μίασμα*] Athenis lege cautum erat, ne publica templa ingrederetur adultera. Demosth. Neaer. p. 1374. Cui crimini in Clytaemnestra accedebat scelus caedis. Itaque dicitur ab Oreste *πατροκτόνον μίασμα καὶ θεῶν στύγος* Ch. 1028.

V. 1562. In his aperte respicit chorus praedictionem Cassandrae v. 1201. — *βλέπει φάος* Pers. 299.

V. 1565 — 1569. „Atqui si haec tibi placent: cito ea experieris. Age, commilitones, aggrediendum est opus.“ — Age, gladio districto unusquisque utatur. — „Et ego quoque districto gladio mortem non refugio.“ — Accipio omen, fortunam exploremus.

V. 1565. Quum favorem chori in Orestem percipiat Aegisthus, opprimendum censet hos homines, quos sibi inimicos mansuros intelligit, itaque vim parat. — *δοκεῖς*, statuis haec agere et dicere: agere, quae mihi displicent, dicere me esse ignavum. *γνώσῃ*, cognosces, an revera ignavus sim. *δοκεῖν* vide v. 16.

V. 1566. *λοχῖται*, satellites Aegisthi, quorum cohorte circumdatus in arcem venit eam occupaturus. Eodem hoc nomine hi designantur Ch. 768, qui ib. 769 *δορυφόροι ὀπάονες*. — *ἔργον*, sc. pugnae. *οὐχ ἑκάς*, adest, ut Soph. Oed. Col. 1668. Cf. Phil. 26. Ag. 391.

V. 1567. *πρόκωπον ἔχων τὸ ξίφος· ἀντὶ τοῦ γυμνόν.* Suid. Cf. Eur. Orest. 1477: *πρόκωπον ξίφος ἐν χεροῖν ἔχων.* STANL.

V. 1568. *οὐκ ἀναίνομαι.* ut exprobrationem timiditatis refellat, iam gloriatur Aegisthus, nihil se curare mortem: ne veritus quidem hoc verbum male ominatum: quam imprudentiam statim in rem suam convertit chorus.

V. 1569. *τύχην.* Cf. Theb. 506: *θέλων ἐξιστορῆσαι μοῖραν ἐν χρείᾳ τύχης* de pugnaturo. Sed cf. Not. crit.

V. 1570 — 1577. Nullo modo, vir mihi carissime, alia faciamus mala. Haec etiam demetere est infaustae messis: satis malorum adest: ne sanguine adspergamur. Redeatis iam, senes, in domus vestras sine malo. Haec e legibus opportunitatis ita efficienda

erant, ut egimus. Si vero unquam satis sit laborum, nobis satis est, infauste afflictis gravi genii ira. Haec est mea sententia.

V. 1570. Clytaemnestram, cuius superbia metu novarum caedium, quas paraturus sit genius infensus (v. 1483 sqq. 1516), fracta est, retinet Aegisthum a vi senibus inferenda. Quod sunt qui abisse putent reginam ineunte hac scena post v. 1492, et iam accurrere: neque placet hic cursus huc illuc sine ratione directus neque omnino statui potest res. Quomodo abire poterat accedente Aegistho, quem exspectabat (v. 1358): abire eo ipso temporis momento, quo advenit ille? Praeterea quo abisset? Patet tota domus, conspicitur intus corpus Agamemnonis, neque nunc is est rerum status, quo secura se in conclavibus mulierum condat regina: imo in discrimine versantur omnia, usque dum arce potitur Aegisthus. Id vero statuendum est, Clytaemnestram, quae adhuc in aedibus mansit prope corpus mariti, ita tamen, ut ab omnibus conspiciatur, nunc progredi in proscenium cum Aegistho collocuturam.

V. 1571. *πολλὰ δύστηνον*, valde infaustum, ut *πολλὰ μὲν τάλαινα* v. 1216. — *θέρος*. Cf. Pers. 821: *ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν ἄτης, ὅθεν πάγκλαυτον ἐξαμᾷ θέρος*. Eur. Ino fr. 13, v. 4: *ἔπειτ' ἀμᾶσθε τῶνδε δύστηνον θέρος*. Cf. Bacch. 1316.

V. 1573. *δόμους πεπρωμένους*, ad domus vestras. *πεπρωμένον*, quidquid certa quadam naturae lege alicui assignatum est: id quod optime dicitur de domibus, quae hereditatis iure a patre ad filium transeunt.

V. 1574. *ἕρξαντα καιρόν*, opportunitatem efficientem, id est opportunitatem quae agere iubet aliquem eumque adiuvat in agendo. Ita *καιρὸς* dicitur *μέγιστος ἔργου ἐπιστάτης* Soph. El. 75. *καιρὸς πάντων γνώμαν ἴσχων κράτος ἄρνυται* Phil. 837. Qui omnium vias et rationes novit, qui adiuvat in agendo, ipse etiam optime dici potest agere. Aoristo usus est poeta, quia in uno semper temporis momento posita videtur opportunitas. Tota igitur cogitatio haec est: efficiendum erat hoc opus necessario, efficiendum opportunitati: quae quidem efficiens opportunitas aliter agere non poterat, ac nos egimus. Ceterum satis apparet efficientem opportunitatem dictum esse pro iis qui in re efficienda utuntur oppor-

tunitate, ut ita circumscribi possit tota dictio: quum nobis in hac re efficienda utendum esset opportunitate, aliter agere non poteramus atque egimus, vel: opportunitas nostra, cui efficienda erat res, aliter agere non poterat ac nos egimus. — χρῆν, subaudiendum est πράσσειν. Cf. Bernh. Synt. p. 136. — Ratio agendi, quam necessariam dicit, est dolosa illa eaque qua nihil Aegisthus ipse, omnia Clytaemnestra perficit. Quibus prolatis rixam inter chorum et Aegisthum de crimine ignaviae huic exprobratae diremtura est Clytaemnestra, agens Aegisthi causam, quem ita se gessisse contendit, ut necessario ferebat rei ratio.

V. 1575. μόχθων, subaudi ἄλις ex iis quae sequuntur. Si unquam dici possit in misera generis humani conditione satis laborum perpessum esse aliquem, nobis satis est horum, qui nobis acciderunt. τῶνδ' premendum est: his nostris laboribus; nos quidem illi modo quantumvis maximo satisfecimus.

V. 1577. ὧδ' ἔχει λόγος· cf. ad v. 540. haec est sententia mea. Pers. 345. Ch. 521. Theb. 225. — λόγος γυναικός: de auctoritate sententiae muliebris dictum est ad v. 323.

V. 1578. „At hos ita indulgere linguae vaniloquae et talia iactare verba fortunam experturos sine prudentia et modestia, an hoc ferendum est domino?“ — Non Argivorum esset blandiri viro ignavo. — „At ego postea quondam te multabo.“ — Non, si Orestis iter huc direxerit deus. — „Scio exsules vesci spe.“ — Superbi, polluens iustitiam, quum hoc liceat.“ — „Scias te mihi poenam daturum pro hac stultitia.“ — Gloriare ut gallus prope gallinam. — „„Ne cures vanos hosce latratus: ego et tu regentes hanc domum adornabimus.““

V. 1578. ἀπανθίζειν dictum ut λωτίζεσθαι Suppl. 963.

V. 1579. δαίμων, ἡ ἑκάστου τύχη. Suid. δαίμονος πειρᾶσθαι Ch. 513. Cf. v. 1264.

V. 1582. μέτειμι, ulciscar Ch. 273. — Etsi nunc te mitto morem gerens reginae, tamen suo tempore huius rixae memor ero.

V. 1584. φεύγοντας ἄνδρας. Intelligit Orestem, plurali vero utitur, quia hic mos omnium exsulum est communis. De re conferunt interpretes Eur. Phoen. 396. αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι φυ-

γάδας, ὡς λόγος: et Eur. Bacch. 617: ἐλπίσιν δ' ἐβόσκετο. — Schützius: exsules spe pasci (nunquam non scilicet se in patriam redituros aliquando esse sperantes), paene in proverbium abierat. Hoc ergo utitur Aegisthus, ut chorum Orestis reditum exspectantem irrideat. Scilicet vanam confidebat fore hanc spem, quam ab Oreste quoque foveri exspectandum erat.

V. 1587. ἀλέκτωρ] vanitatem et mollitiem obiurgans galli similitudinem affert. Alioqui hac ad designandum animum, qui discordias domesticas foveat, utuntur poetae: Eum. 861. Pind. Ol. XII, 14. Ne hoc quidem ab Aegistho alienum.

V. 1588. ὑλαγμάτων genitivus partitivus. Idem de chori conviciis dictum v. 1547.

V. 1589. Recte scholiasta: ἐγὼ, φησί, καὶ σὺ κρατοῦντες τῶνδε τῶν δωμάτων διαθησόμεθα τὰ καθ' αὑτοὺς καλῶς. Dictio τιθέναι καλῶς sine accusativo ut θέσθαι καλῶς Soph. Creus. fr. 321. — κρατοῦντε. Commune Aegisthi et Clytaemnestrae imperium vide Ch. 973: ἴδεσθε χώρας τὴν διπλῆν τυραννίδα. — Per septem annos mansisse hanc tyrannidem, qua populum oppresserit Aegisthus, auctor est Homerus Od. III, 304: κτείνας Ἀτρείδην· δέδμητο δὲ λαὸς ὑπ' αὐτῷ· ἑπτάετες δ' ἤνασσε πολυχρύσοιο Μυκήνης.

DE
METRIS ET NUMERIS.

METRA ET NUMERI.

Res metrica carminis ita potissimum est explicanda, ut appareat § 1.
ratio numerorum, tum ea, qua singulae versus cuiuspiam partes iunguntur, tum ea, quae inter ipsos versus intercedit eos, ex quibus compositae sunt strophae. Stropharum igitur exponendae sunt leges, neque dubium esse potest, quin iis demum intellectis mente perspiciatur ea numerorum ratio, cuius sensus facile ab unoquoque percipitur. Quodsi mirifice neglectum invenimus hoc legum, ad quas compositae sunt strophae, investigandarum studium, id repetendum videtur e vulgari more, quo alter interpres alterius vestigia premit, a se alienum putans id, de quo priores non cogitaverunt. Exstant § 2.
tamen in metricis scriptis exempla rationis, qua reperiri possunt hae leges: de Alcaica stropha dudum demonstratum est priorem primorum versuum partem fusius exhiberi versu tertio, posteriorem versu quarto. Est quidem haec lex una tantum ex innumerabilibus, tam variis, quanta est ipsa stropharum varietas. Id quod deterruisse interpretes videtur, metu, ne inanem agerent rem, in qua certi quidquam vix posset constitui. Videntur sane tales constitutiones saepe arbitrariae, neque conceditur a multis alteram eiusmodi constitutionem strophicae legis revera esse meliorem et certiorem altera. At non sunt tam incertae hae leges, modo ne id pro lege statuas, quod primo adspectu animo occurrit et placet fortasse: sed id solum quod remanebit, quum varia conatus

§ 3. eris omniumque singulorum rationem accurate perpenderis. Atque quum unaquaevis stropha suam habeat legem et nonnulla sibi propria, facile tamen apparent etiam ea, quae sunt multarum, quin plurimarum communia. Videbis plerasque in tragoedia nostra exhibitas strophas e tribus constare partibus, quae diverso modo numeros explicant, nunc ita, ut in secunda et tertia singuli tractentur ii, qui coniuncti apparebant in prima: nunc ita, ut ipsi diversi sint cuiusvis partis numeri, nunc ita, ut in quavis plures exponantur numeri iidem ordine diverso. Quamvis enim saepissime invenitur haec trium partium adornatio, summa tamen vel in ipsa nostra tragoedia est ipsorum in iis numerorum adornandorum va-
§ 4. rietas. Praeter haec, quae multarum stropharum communia facile in singulis demonstrant viam inveniendae legis, et praeter eum morem, quo versibus quibusdam, velut logaoedicis brevioribus et Pherecrateis, vel versuum loco clausula uno vel duobus tribusve pedibus exhibita nunc ad designandum stropharum, nunc strophicarum partium finem utitur poeta, et praeter eos versus, qui baseos anapaesticae instar, fini praeludunt, id etiam adiuvat eum, qui in has res inquirit, quod persaepe communis quaedam cernitur lex earum stropharum, e quibus maius aliquod carmen com-
positum est. Et ibi sane cavendum est, ne extorqueamus potius hanc legem, quam revera in numeris positam investigando reperiamus: neque id existimandum est, immutabilem stare talem legem
§ 5. per totum omnium carminis stropharum decursum. Omnino enim id tenendum est, nonnisi in motu, in ipsa partium motus ratione positum esse rhythmum, rationes vero motionis esse innumerabiles: e quibus si certae quaedam promuntur solaeque aptae esse iudicantur legibus pulchritudinis, tamen summam esse varietatem rationis, qua inter sese ipsas connecti possunt hae motionis formae pulchritudinis iudicio delectae. Itaque quum id in exprimendis numeris agat poeta, ut sensus motusque animi varios certo quodam signo exhibeat, is optimus iudicabitur legum strophicarum inventor, qui statuerit ea quae communia sunt, in iis vero mutationem quamvis agnoverit eiusque rationem exposuerit vel ita designaverit, ut sponte ea appareat lecturis.

§ 6. Numeri, quibus usus est Aeschylus in hac tragoedia, plerique leves sunt et concitati, leves et longiores trochai-

ci, iambici, cretici, logaoedici suisque locis dochmiaci. Rariores sunt puri dactylici, qui ubi inveniuntur, plerumque ita comparati sunt, ut inserantur trochaicis vel logaoedicis, neque suam habere vim videantur, sed nihil esse nisi aucti in fortiorem motum trochaici. Differt ab hoc more carmen primum e puris longis gravibus dactylicis compositum, quo exhibetur sanctitas et tristitia, qua insigne est omen Atridis a diis portentum, cuius auctoritas pertinet per universam tragoediam. Statim vero in secundo carmine ad leviores numeros transit poeta. Neque differt numerorum ratio in Choephoris et Eumenidibus: et omnino his levioribus mobilibusque rhythmis indulsit Aeschylus, abhorrens idem ab omnibus mollioribus: rarissime enim utitur Glyconeorum et Pherecrateorum systematis, singulis saepissime. Gravioribus numeris usum eum cernimus potissimum in Prometheo, ubi bis reperiuntur graves trochaicae dipodiae iunctae cum gravibus dactylicis v. 526 sqq. et v. 887 sqq., qui numeri apto nomine appellantur Dorici, ut quibus in iis potissimum utantur lyrici velut Pindarus carminibus, quorum Dorica erat harmonia.

Primum, quod anapaestos novem systematis compositos excipit, chori carmen in duas divisum est partes, quorum altera e strophe, antistrophe et epodo constat, altera quinque strophis et antistrophis decurrit. Ne una eademque lege haec omnia composita et epodum potius mesodum habeamus, impedit rhythmorum utriusque cantici omnino diversa ratio: in priore enim dactylici, in posteriore trochaici praevalent omnibusque versibus suae naturae signum imponunt. § 7.

V. 104 — 146. Stropha. § 8.





Facile apparet principalem horum versuum mensuram esse dipodiam dactylicam, e qua omnes sunt compositi vel singulari, vel bis, vel ter vel quater repetita, solo illo versu excepto, qui tum strophas tum epodum claudit ideoque diversa compositione insignis redditus est a poeta: idem vero hic versus etiam in connexum strophae receptus apparet excipiens versum primum. Praeter has dipodias dactylicas poeta usus est dipodia iambica, quae bis singularis posita ante duas dactylicas, semel bis posita ipsa sola versum constituit, quo designatur strophae exitus. Praeparans quasi dipodiam iambicam breviori dactylico versu praemissa est basis, ut illa longiori, introducens Pherecrateum. Posset quidem hic versus haberi pro trimetro dactylico: censeo vero Pherecrateum, quia nusquam in hoc carmine apparet mensura trium pedum: et quia proxime abest praemissa basis a praemissa dipodia. Probatur hoc epodi versibus, ubi reperitur logaoedicus versus, cuius exitus basi praemissae respondet. Medii in toto carmine positi sunt duo versus e quaternis dipodiis constituti. Quorum priorem quod in duos dimetros dissecant editores, nulla est huius rei ratio: imo alter
§ 9. alteri respondet, alter altero probatur. Haec quidem de singulis versibus dicenda: iam de universa lege, qua composita est strophe. In quibus tum observanda est ratio ea, qua alter versus quasi prodit ex altero, tum partium distributio. Primam si respicis, hexametrum excipit pentameter, hunc dimeter, hunc Pherecrateus, hunc tetrameter praemissa iambica dipodia, hunc dimeter, hunc duplex tetrameter, hunc idem duplex tetrameter, quorum prior acatalectus, posterior catalecticus, hos tetrameter praemissa iambica dipodia, hunc Pherecrateus; hunc hexameter, hunc dimeter iambicus, hunc pentameter dactylicus. Me quidem iudice, quum e dipodiis constent hi omnes dactylici versus, hexameter aptius diceretur trimeter, tetrameter dimeter, reliqua: at retinui vocabula vulgaria, ne turbarentur lecturi. Totius strophae sunt tres partes: v. 1 — 3 triplici

ratione exhibetur dactylicus rhythmus, v. 4 — 10 basis praemissa crescit in iambicam dipodiam: deinde praemisso minori dactylico versu bis latissimo ambitu exhibetur principalis rhythmus, a quo descenditur ad tetrametrum cum dipodia, ab hoc ad dimetrum cum basi, ut adumbratum sit (si dipodiam dactylicam litera d designamus) hoc schema: +d, idd, d, dddd, dddd, idd, +d: cuius lex interior satis apparet. V. 11 — 13 exhibentur dactylici rhythmi variationes ut in parte prima: una excepta, cuius loco positus est iambicus versus, quia in secunda parte hunc rhythmum introduxit poeta. — Duplex tetrameter est etiam Pers. 852: *ὦ πόποι — — — ἐπεκύρσαμεν.*

Epodus. § 10.



De singulis pauca dicenda: neque enim discrepat versuum descriptio ab ea, quam constituerunt priores editores inde a Dindorfio. Dipodiam iambicam cum catalectica trochaica iunctam excipit logaoedicus dactylicus simplex dupliciter trochaicus, cui prae-

missi iambus et basis: hunc tetrameter dactylicus, hunc idem logaoedicus cum basi, hunc idem tetrameter, hunc tetrameter cum exitu logaoedico et addita clausula trochaica. Huius primae partis ea lex est, ut duplex rhythmus primo versu exhibitus crescat in secundo, prior iambicus in basin antispasticam, posterior trochaicus in logaoedicum. Logaoedicus versu tertio denuo crescit in dactylicum. Hac altera primae partis parte finita in altera a logaoedico denuo in dactylicos crescit rhythmus: ac sicut quarto versui praemissus est trochaeus, adiectus est is versui sexto. Secunda pars v. 7 — 11 incipit a trochaica tripodia, cui praemittitur iambica dipodia. Sequitur hexameter dactylicus, deinde trimeter catalecticus in syllabam, deinde hexameter, denique glyconeus. Conspicitur in hac lex ea, quod trimeter ille spondeis exhibitus ab utraque parte habeat hexametros, quorum huic praemissus est, hunc vero excipit versus rhythmi levioris, hoc schemate: itr, ddd, D, ddd, gl. In tertia parte sequitur duplex trimeter, eumque idem, hunc duo hexametri, hunc monometer, hunc pentameter. Haec pars ipsa triplici versuum ratione in tres partes dividitur. Duplicem trimetrum puto priorem utrumque, quia in quarto pede est utriusque caesura maxime insignis.

§ 11. Praeterea non deest universa lex strophae et epodo communis. Tres sunt utriusque partes: in priore utriusque praevalet lex progrediendi, in secunda lex includendi, in tertia lex simplicioris progressus, cui interpositus est brevior versus progressum quasi cohibens, in altera iambicus, in altera dactylicus monometer. Similitudini in prioribus etiam partibus additur varietas. Progressus in stropha fit simplici imminutionis via ddd, ddδ, $\bar{d}$, in epodo duplici crescendi via it, bdl, dd atque: bdl, dd, dd+. Inclusio ita est exhibita, ut in stropha versus duo longissimi et agitatissimi includantur brevioribus, in epodo unus brevis tardus a longioribus.

§ 12. V. 147 — 232. Stropha I.



3 ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –

4 ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Principalis mensura dimeter trochaicus catalecticus, qui primo versu ter compositus praemissa basi, secundo bis, quarto singularis. Interpositus est dactylicus pentameter. Lex strophae est imminutio versuum longitudinis, inserto alio rhythmo prope finem.

Stropha 2. § 13.

1 ⏑ – ⏑ – ⏑ –
⏑ – ⏑ – ⏑ –
⏑ – ⏑ – ⏑ –

2 x – – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

3 ⏑ – – ⏑ – – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

4 ⏑ – ⏑ – ⏑ –

5 ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Versus primus ut str. 1. abiecta basi, quae iam praefixa est singulari dimetro v. 2. Sequitur trimeter creticus cum dimetro trochaico, idem hic solus, idemque praemissa basi cum anacrusi. Lex strophae eadem quae in prima, imminutio et insertio. Atqui in fine denuo crescit rhythmus imminutus.

Stropha 3. § 14.

1 ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑

2 ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑

3 ⏑ ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – –

4 ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – –

5 ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –

6 ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ –

7 ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑

8 ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑

9 ⏑ ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ –
⏑ ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ –
⏑ ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ –
⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – –

Principalis mensura tripodia trochaica. Cui v. 1 et v. 2 praemittitur iambica dipodia, v. 3 dimeter iambicus, v. 4 basis cum anacrusi, v. 5 dipodia iambica. Deinde v. 6 sequitur tripodia iambica, v. 7 logaoed. dact. simplex dupliciter troch., v. 8 idem: v. 9 hexameter choriambicus, cui additus est idem logaoedicus. Lex imminuendi numeri hic quoque servata, nam v. 1 et 2, qui eundem exhibent, sunt iungendi, quibus minor est v. 3, quo minor v. 4. Iam crescit numerus ut in fine strophae secundae, crescit primo iambicus e dipodia in tripodiam, deinde etiam, aucto simul motu trochaico, in diversum quidem at simillimum tamen sibi logaoedicum, exhibitum primo duobus versibus, ex his vero denuo auctum in amplum systema choriambicum, ex quo redit denuo numerus in logaoedicum, ut insertionis etiam legem servatam videamus: proxime enim a trochaicis absunt logaoedici, longe choriambici.

§ 15. Stropha 4.

1 ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ – ⏓
2 ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ – ⏓
3 ⏑ –́ ⏑ ⏑⏑ ⏑ – ⏑ –
4 ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ – –
5 ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ – ⏓
6 ⏑ –́ ⏑ ⏑⏑ ⏑ –
7 –́ ⏑ – – ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ –
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – –
8 –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – –

V. 1 et 2 ut in str. 3; v. 3 tetrapodia iambica; v. 4 et 5 idem qui v. 1 et 2; v. 6 tripodia iambica: v. 7 compositus e dimetro cretico, tripodia troch. catal., logaoedico dact. simplici tripliciter troch. cat. et eodem dupliciter troch. acat.; v. 8 logaoedicus idem, qui proxime antecedit. Lex eadem: sunt enim iungendi v. 1, 2 et 3, quo latissimus, v. 4, 5 et 6, quo paullo coercitus exhibetur numeri ambitus: denique rhythmus alienus additus: et hic etiam is versus, qui ultimum antecedit, maxime insignis.

Stropha 5. §16.

1 ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – – ⏑ –
2 ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ – ⏑
3 ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ – –
4 ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ –
5 ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ –
6 ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ – –
7 ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – – ⏑ – – ⏑ –
8 ⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ –
9 – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – –

Omnibus his versibus 1 — 8 praemissa dipodia iambica, v. 1 dimetro cretico, v. 2 tripodiae troch., v. 3 cretico, cui adiunctae dipodia et tripodia trochaica, v. 4 dimetro troch. catal., v. 5 monometro troch. catal., v. 6 tripodiae troch., v. 7 trimetro cretico, v. 8 tripodiae troch. catal. V. 9 logaoedicus dact. simplex dupliciter troch. cum anacrusi. In his imminuendi legem, quae in reliquis semel in tota stropha exhibebatur, ter repetitam cernimus. Primus ordo est v. 1 et 2; secundus v. 3, 4, 5; tertius v. 6, 8, 9. Ultimo huic insertum videmus versum creticis insignem. Variam rationem, qua legem universam exhibuit poeta in strophis singulis, certius perspicies ex hoc schemate:

I. +TTT, TT, dd δ, T.
II. TTT, +T, CT, T, *T.
III. iT, iT; — iiT, — *T, — iiTT, I, l, l; — Ch Ch Ch l.
IV. iT, iT, ii; — iT, iT, l; — CTll, l.
V. iC, iT; — ictt, iT, it; — iT, iC, iT, L.

Universam numerorum in toto hoc chorico carmine rationem si respicis, triplex apparet diversitas. In priore stropharum ordine praevalent dactylici, in posteriore trochaici: sed in hoc ipso posteriore insignis est differentia: quum in prioribus duabus strophis nonnisi leves trochaici ordines conspiciantur iique catalectici, ut collidantur arses, id quod aliquam similitudinem creticorum exhibet, quorum ipsorum pauci sunt additi. Unus tantum dactylicus, retinens quasi memoriam huius numeri. In tertia vero, quarta et quinta stropha pro his catalecticis ordinibus sunt acatalecti cum §17.

iambicis antispastica ratione compositi, iisque admixti logaoedici et choriambici. Dactylicis illis sollemnis, gravis, quin lugubris exhibetur carminis modus, trochaicis alacris, concitatus, strenuus, antispasticis et choriambicis logaoedicis vehementer commotus et turbatus. Quae omnia eos exhibent sensus, qui comitantur res exhibitas in animo chori. Dactylicis exhibetur omen et vaticinatio, qua fausta simul et infausta portendebantur, ut naenia finienda esset quaevis stropha: trochaicis invocatio Iovis, qua ex illa doloris gravitate sese quasi erigit animus, et praeterea quieta conditionis Argivorum descriptio: antispasticis et choriambicis querelae Agamemnonis de iusso Dianae et improba Iphigeniae immolatio.

§ 18. Stasimum primum v. 342 — 446 e tribus compositum est strophis, quae constant ex iambicis et trochaicis ordinibus levioribus. Unicuique in fine additi sunt duo Pherecratei et Pherecrateus cum Glyconeo iunctus, cuius numeri praeludium fit in prima stropha uno versu logaoedico, in secunda nullum, in tertia amplo systemate. Addita est epodus e meris composita iambicis et trochaicis. Stropharum communis est ea lex, quod praeter clausulam Pherecrateorum tres sunt cuiusvis partes, quarum prima variis rationibus exhibet themata, quae in secunda longius sed simplicius explicantur, tertia vero resumit thema quodammodo variatum.

§ 19. Stropha I.





Thema exponitur v. 1 — 4, v. 1 tripodia troch., cui praemissa basis e. anacr., v. 2 idem, v. 3 trimeter iamb. cat., v. 4 dim. creticus praemissa dipodia iamb. Quod fusius exhibetur v. 5 — 10, ubi ter bini compositi sunt versus, v. 5 et 6 creticus, cui praemissa dipodia iamb., v. 7 et 8 creticus, cui praemissa basis cum anacr., v. 9 et 10 basis e. anacr. praemissa tripodiae troch. Deinde v. 11 in unum hi numeri omnes comportantur versum, dipodia iamb., dimeter cret., tripodia troch. cat. et clausula troch. V. 12. logaoedicus dact. simplex dupl. troch., qui accrevit quasi e trochaico numero, praeparat exitum in Pherecrateis exhibendum.

Strophâ 2. §20.



Thema exponitur v. 1 dipodia iamb. et dim. cret. atque v. 2 iambus, basis, creticus tripodia troch., tum v. 3. trimetro iamb. et v. 4 tripodia troch., cui praemissa basis c. anacr. Quibus versibus reperies similes priores quattuor strophae primae. Partis secundae initium et exitus iambicis versibus insignes sunt: v. 5 dipodia iamb. cum tripodia iambica, v. 10 dimetr. iamb. Numerus principalis exhibetur progressu simplici, dipodia iambica omnibus praemissa, cui adiungitur tripodia troch. v. 6, dim. cat. v. 7 et 8, creticus et tripodia troch. cat. v. 9. Tertia parte repetitur numerus in themate praemissus, v. 11 dipodia iamb. cum cretico v. 12 creticus cum tripodia troch.

§ 21. Stropha 3.



Thema exhibitum v. 1 — 4. V. 1 idem qui str. 2; v. 2 creticus cum dim. troch. simillimus str. 2 v. 12, similis etiam str. 2 v. 2, cuius posteriorem exhibet partem; v. 3 et 4 iidem qui str. 1 v. 5 et 6 et str. 2 v. 11. Deinde parte secunda fusius exhibetur uterque rhythmus: v. 5 trochaicus triplici dimetro catal., v. 6 iambicus tetrametro acat. Pars tertia exhibet systema v. 7 exorsum a dim. iambico, quem sequuntur tres logaoedici dact. simpl.

ripl. troch., catal. unusque dupl. troch. acat. — Stropharum schema
:at hoc:

I: *T, *T, iii, icc; - ic, ic; *c, *c; *T, *T; - icct+, l. - Ph, Ph, GlPh.
II: icc, bcT, iii, +T; - iiι, iT, iT, iT, ict, ii; - ic, cT. - . . . . . .
III: icc, cT, ic, ic; - TTT, iiii; - iiliλ. - . . . . . .

Epodus. § 22.



⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ –
⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ –
–́ ⏑ – ⏑ – ⏑ –
⏑ –́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
⏑ –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ –
⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ –
⏑ –́ –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ –
⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ –
⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ –
⏑ ⏑́⏑⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑⏑⏑ ⏑ ⏑⏑⏑ ⏑ –
⏑ ⏑́⏑⏑ ⏑ – ⏑ ⏑⏑⏑ ⏑ –
⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ –

V. 1 et 2 iidem qui str. 1 v. 5 et 6. V. 3 dim. troch. cat. ut in str. 3 v. 5. V. 4 et 5 trim. iamb. V. 6 idem qui v. 1. V. 7 dipodia iamb. cum tripodia troch. cat. V. 8 dim. troch. cat., cui praemissus iambus. V. 9 idem qui v. 1 et 6. V. 10 dipodia iamb. cum dim. troch. V. 11 trim. iamb. V. 12 dim. iamb. V. 13 idem qui v. 10. Cernis tres ordines v. 1 — 5, v. 6 — 8 et v. 9 — 13. Primus praemisso themate v. 1 et 2 trochaicum numerum exhibet v. 3, iambicum v. 4 et 5. Secundus themate v. 6 praemisso duplicem rationem antispasticae compositionis exhibet v. 7 et 8. Tertius praemisso themate v. 9 duobus antispasticis versibus 10 et 13 includit meros iambicos 11 et 12. Schema epodi:

ic, ic, T, iii, iii; — ic, it, ιT; — ic, iT, iii, ii, iT.

Stasimi secundi v. 639 — 714 numeri sunt leves trochaici § 23.
et iambici ac logaoedici anapaestici et dactylici, semel aucti in

ionicos. Pherecrateis et logaoedicis hic etiam omnium stropharum exitus designatur, qui tamen non tam diserte distinctus est ab ipsa strophe quam in primo stasimo, sed ad ultimam eius partem pertinens. Ceterum in his etiam strophis tres discernantur uniuscuiusque partes: quarum prima numeros ter simpliciter exhibet, secunda eosdem vel fusius exponit, vel auget in fortiores, tertia exitum leniori designat. Neque differt ultimae strophae lex, differt modo ea ratio, qua in unum versum coercita est pars prima, uno etiam exhibita pars extrema. Stropharum schema hoc:

I: TT, TcT, T; — lL, aλ², αd; αL, αL; αd, iL; — Ph; αl; Ph.
II: ₔd, ₓd, ₒd; — D, D, D; T, T; — GlPh.
III: iT, itT, ₒT; — L, ⏑l; JoJo, Jo, Jo; — ₒCh, Ph.
IV: icccT: — iii, iT, iL; — L.

§ 24. Strophe 1.



V. 1 — 3 dimetri trochaici: v. 1 duo, v. 2 duo quibus insertus creticus, v. 3 singularis. Pars secunda v. 4 — 10 exhibet logaoedicos e dactylicis per anapaesticos magis magisque imminutos v. 4 — 6, aequabili statu manentes v. 7 et 8, deinde auctos v. 9 et 10. Singuli v. 4 logaoed. dact. simpl. tripl. troch. cat. et acatal. V. 5 duplex log. anapaesticus simplex semel iamb. Vides

hoc versu 5 quasi inversum esse numerum versus 4, simul immixtum. V. 6 adonius cum anacrusi. V. 7 et 8 logaoedici anap. simpl. tripl. iamb. cat. V. 9 anapaestus praemissus logaoedico dact. simpl. dupl. iamb. cat. V. 10 iambus praemissus eidem tripliciter iambico acat. Exitus v. 11 et 13 pherecrateos exhibet, v. 12 dipodia trochaica, cui praemissa basis cum anacrusi. Dipodiae prior arsis soluta, ut Pind. Pyth. II, 5, 6.

Stropha 2. §25.



Vides numerum dactylicum et trochaicum brevissima specie exhiberi v. 1 — 3: v. 1 iambo et adonio, v. 2 et 3 basi cum anacrusi et adonio: secunda parte longius exponi primum dactylicum tribus trimetris v. 4, 5, 6, deinde trochaicum duobus dimetris. Exitus v. 9 compositus e Glyconeo et Pherecrateo.

Stropha 3. §26.



V. 1 dipodia iambica dimetro troch. praemissa. V. 2 iambus et tripodia troch. catal. praemissa tripodiae troch. acat. V. 3 basis cum anacrusi praemissa eidem. Deinde numerus e trochaico crescit in logaoedicum: v. 4 dact. simpl. tripl. troch. cat., v. 5 log. dact. simpl. dupl. troch. acat. cum basi: et ex hoc in ionicum v. 6 tetram. ion. a min.; v. 7 et 8 dimetros. Denique v. 9 basis cum anacr. praemissa choriambo, qui ex ionicis quasi transducit in Pherecrateum v. 10. — Tetrameter ionicus in stropha patitur anaclasin, dipodia trochaica pro ultimo ionico substituta tertiique ionici syllaba ultima correpta. In antistrophico sunt puri ionici, si sana est lectio. V. 7 et 8 dimetros non tetrametrum existimo, quia nulla apparet ratio, cur iungendi sint.

§27. Stropha 4.



V. 1 dipodia iamb.; trim. cret. dipodia troch. et tripodia cat., quo uno versu omnes numerorum in prima cuiusque strophae parte expositorum rationes exhibentur dactylico excepto. V. 2 tetram. iamb. V. 3 dipodia iamb. cum dim. troch. cat. V. 4 dipodia iamb. cum log. d. simpl. dupl. tr. ac. V. 5 idem logaoedicus.

§28. Stasimi tertii v. 907 — 958 etiam ea est lex communis, quod in media utraque stropha certi quidam numeri, dactylici et trochaici, in prima brevius, in secunda longius exhibentur: eaque, quod in utraque alternantur hi numeri, ter in prima, bis in secunda. Ad dactylicos in prima etiam logaoedici, ad trochaicos iambici referuntur. Praemissa est huic alternationi numerorum in prima compositio trochaicorum, quorum finis clausula addita designatur, in secunda dochmiacorum et anapaesticorum, quibus, quum illi ex iambis et trochaicis constent, anapaestici vero inversos dactylicos exhibeant, invertitur quasi sequentium numerorum alternatio. Schema hoc;

I: T, T, T+; — ddδ, T, T; — Ph, J, iii; — GlT, T.

II: Doch., AA, Aa; — D, D, dl; T, T, T, T, T, T; — dddd, T.

Stropha. 1. §29.



V. 1 et 2 dim. troch. cat. V. 3 idem acat., cui addita clausula troch., qua insignis est praeludii finis. — V. 4 pentam. dact.; V. 5 et 6 iidem qui v. 1. — V. 7 Pherecrateus; V. 8 tripodia iamb.; V. 9 trim. iamb. — V. 10 Glyconeus cum. dim. troch. cat. V. 11 idem dim. Vides unum ordinem dactylicum vel logaoedicum ter exceptum a binis trochaicis vel iambicis.

Stropha 2. §30.



13 ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –
⏑ – ⏑ – ⏑ –

V. 1 dimeter dochmiacus: in primo dochmio strophico penultima affectione, quae dicitur, rhythmi producta, quia vehementer concitatus est eius qui loquitur animus. V. 2 dimeter anapaest. acat. V. 3 Paroemiacus finem primae partis designans, ut clausula str. 1. — Deinde v. 4 et 5 trimetri dact. cat. V. 6 logaoed. dact. duplex dupliciter troch. acat. V. 7, 8, 9, 10, 11, 12 dimetri troch. cat. V. 13 duplex tetrameter dactylicus, omnino idem qui v. 111 et 124: primo pede pariter atque in illis spondiaco. Hunc sequitur v. 14 dim. troch., hanc stropham claudens pariter ac primam. Satis apparet duplex alternatio v. 4 — 6: 7 — 12 et v. 13: 14.

§ 31. Lamentationes a Cassandra et choro prolatae v. 996 — 1098 certo stropharum ordine dispositae sunt. Septem strophae et antistrophae canuntur a Cassandra; alternantur cum quattuor prioribus bini trimetri iambici, quos dicit chorus, cum tribus posterioribus tres strophae, quas canit idem. Omnia ad hoc schema disposita habes, in quo bina quaeque signa bis exhibuit poeta:

C.	Ch.	C.	Ch.	C.	Ch.	C.	Ch.
I,	A;	II,	B;	III,	C;	IV,	D;
iamb. 2 trim.		i. et cr. 2 tr.		dch. et i. 2 tr.		i. t. dch. 2 tr.	

C.	Ch.	C.	Ch.	C.	Ch.
V,	*A*;	VI,	*B*;	VII,	*Γ*.
i. et cr. 2 tr.		et dch.	i. et t. dch. cr.	i. et dch.	dch. et i.

Ut chori oratio e trimetris in strophicos versus crescit, ita Cassandrae e brevissimis strophis in maiores. Numeri sunt nonnisi iambici, trochaici, cretici et qui oriuntur e compositis brevissimis eorum formis dochmiaci. Tres discernuntur cuiusvis strophae partes. Stropharum Cassandrae a secunda usque ad sextam id est commune, quod tertius versus est trimeter iambicus, in septima idem quartus et quintus extremus; prima non obtemperat huic legi, quia omnino in ea non est numerus, sed rudis exclamatio: neque ob ullam causam stropha dici potest, nisi quod bis eaedem voces repetuntur a Cassandra, quibus trimetros suos

